

14
13-A
2

44
d

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-13-A 2-

44 / 44
d. d
32. 29

44.5.32

Digitized by Google

14
13-A
2

44
d

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-13-A 1-

44.5.32

44/44
d. d
32. 20

p

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 A
25

Google

ΜΩΡΟΣΟΦΙΑ:

Id est

STVLTA SAPIENTIA,

Itemque

SAPIENS STVLTITIA;

Regina Mundi,
Populorum Gubernatrix,
Omnium voluptatum Mater,
Vitæ condimentum,

Opuſculum

EX VARIIS AVCTORIBVS maximè verò Italico Antonii Mariæ Speltæ ſcripto concinnatum, & in duos libros tributum.

à

GASPARE ENS L.

COLONIAE,
Excudebat Petrus à Brachel.
M. DC. XX.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA


BIBLIOTECA NAZ. ROMA



Digitized by Google

GENEROSO
ET ILLVSTRI VIRO
AC DOMINO
D. IOANNI
A KETTLER,
BARONI IN MONIOIE,
DOMINO IN AMBOTEN, ESERN,
&c. Serenissimo Electori Brandeburgico ab intimis consiliis, & Chiliarchæ, &c.

Domino meo gratioso, &c.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Bsurdum proculdubio facere videbor, quod talis argumēti libellum Vest. Generositati dedicatum eam, cuius præter illustria auitæ stirpis decora, in Religione pietatem, grauitatem in moribus, in consiliis prudentiam, in familiari cōuersatione humanitatem & modestiam boni o-

mnes mecum ſuſpiciunt & exoſculantur. Non dubito tamen quin vbi hoc quidquid eſt libelli, Va. Generoſitas perlegerit, haud grauatim mihi veniã datura ſit. Etſi namq; titulus *Stultitiam* præ ſe ferat: ea tamen in ipſo contextu ac ſerie paſsim inculcantur, quæ, niſi fallor, ad verã ſapientiã rectum iter oſtẽdũt. Et profecto vix video quomodo hanc quiſquã agnoſcere nedũ conſequi poſsit, cui non æmulatrix eius Stultitia aliquo modo nota ſit: iuxta vulgatũ illud, Contraria inter ſe oppoſita magis eluceſcere. Quid multis? Etiam ſapientiſsimorum hominum iudicio duæ hæ res, Sapientia, inquam, & Stultitia ita miſtæ ac coniunctæ ſunt, vt altera (quod ille de Arte & Natura dixit) alterius opem poſcat, & vtræque inter ſe amicè coniurent.

Quod supereſt, Generoſitatem Veſtram demiſſe admodũ rogo atque oro, vt hunc obſeruãtiæ meæ erga illuſtres G. V. virtutes teſtandę conatum bonam in partem accipiat, meq; clientum ſuorum, licet immeritum, numero adſcribat. Dabam Coloniæ Agrippinæ Cal. Septembr. Anni M. DC. XIX.

Veſtræ Illuſtris Generoſitatis

Obſeruantiſſimus

GASPAR ENS.



Ad beneuolum Lectorem PRÆFATIO.

CLarissime quidem omnibus in rebus sed vel maxime in earum quæ tam ad ipsius Naturæ vim quam hominum vitam spectant, varietate ac vicissitudine, diuina elucet Sapientia. Tempora ipsa vide. Ver terram ad semina gremio excipienda aperit: Æstas eadem percoquit & omnis generis fruges ac fructus producit: Autumnus maturitati finem imponit: inde hyems rursus ocio quodã terram recreat & ad nouum veluti partum disponit: ne continuis exhausta laboribus sterilescat ac vires omnes amittat. Verissimum enim est quod trito illo versu dicitur:

Quod caret alterna requie, durabile non est. &
Stare diu nescit qui non aliquãdo quiescit.

Nec

Nec dubium quin fortior post quietem virtus resurgat.

——— Nostra fatiscit
Laxaturque chelys: vires instigat alitque (virtus.
Tempestiua quies. Maior post ocia

Illud tantum cauendum quod Seneca monet: Quies tibi, desidia non sit. *Certe ipsum Catonem cũ pueris in arundine longa equitasse; Scipionem Africanum & Lælium (at quos viros?) in litore puerorum more conchulas unà legisse; Agesilaum temporis fallendi caussa muscipulis faciundis se oblectasse ferũt. Possem alios quamplurimos magni nominis viros, immò Imperatores, Reges ac Principes commemorare, qui singuli partim è mechanicis, partim etiam ridiculis studijs voluptatem sibi quæsiuerunt: verumtamen iis magis ignoscendum puto, qui minus à professionis atque ordinis quem tenuerunt, grauitate discesserunt; in ocio etiam de nego-*

cio cogitantes, Scipionis exemplo, qui dicere solebat : Numquam se minus solum quam quum solus, nec minus ociosum esse, quam quũ ociosus esset. *Quãquam profecto omnia circa quæ hominum tam seria quam ludicra occupantur studia circumspiciens, illud post homines natos sapiẽtissimi Regis proculdubio exclamabit:* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Non nego hanc ipsam hominum vitam tam publicè quam priuatim seriis maximè consiliis ac factis regi illud tamen quoque vere affirmare mihi posse videor, pauca esse quæ non vani, seu, vt planius loquar, stulti aliquid habeant admistum. Quocirca veniam dabit nobis æquus Lector, hoc ipsum quod tam obscurum quam commune est, apertius per omnes hominis ætates, sexus & ordines demonstrare conãtibus: vt quisque stultitiam suam,* *id*

id est, vitia, intelligat & emendet. Quemadmodum enim nulli periculosius ægrotant, quam qui ægros se esse nesciunt; ita nulli stultiores mihi videntur, quam qui tam suam quam aliorum stultitiam non vident, & agnoscunt. Et hoc quidem procliue est omnibus (facilius enim festucam in alterius quam trabem in nostro videmus oculo) illud vero paucis datum est. Amamus enim nosipsos: & quia Stultitiam magnum crimen putamus, vix vllum conuicium grauius ferimus. Stulti! immo miseri hoc ipso! Sed vt infinitus est Stultorum numerus, ita complura sunt Stultitiæ genera, nō minus sibi inter se quam ipsi Sapientiæ aduersantia. Nos vero hic eam stultitiam tractandam suscepimus, non quæ ab vlla infamia, furore, aut scelere profecta sit, aut à qua vllum scelus proficiscatur; sed quæ

in hominum vitam & actiones ita se insinuat; vt licet reuera sit quod est, sæpe tamen, immo plerumque pro Sapientia fallat ac habeatur. Vnde facile cognosci potest nō modo quam late eius pateat imperium, verum etiam quantas vtilitates, & voluptates inprimis ad hominū vitam afferat. Thrasyllum quendam Esonensem refert Aelianus, & ex eo Agellius, in eum opinionis errorem incidisse, vt omnes in portum appulsas naues suas esse putarit: ideoq; aduenientes summo cum desiderio exspectasse & magno cum gaudio excepisse, discedētibus etiā magna cum sollicitudine bene precari solitum. Hunc mentis errorem postquam ei Medicorum eripuit industria, vltrò fassum, numquam se suauius vixisse, eaque voluptate se priuatum, moleste tulisse. Quam verò vtilis ac fructuosa sit Stultitia

non

non vulgaris Sapientiæ magister testatur Seneca,dum inquit: Stulto nulla re opus est. *Quo uno quid dici potest locupletius? Quid quod ita necessaria vitæ putetur, vt qui adolescens vel iuuenis eius se subducit imperio,vir aut senex iugum eius subire cogatur? Vnde gens quædam hodie percelebris non immerito in matrimoniis conciliandis & sponsis eligendis illud spectare solet,an Stultitia iã in eis deferbuerit. Sed quid multis te moror? Age iam per totum huius Vitæ theatrum te circumducam, & nullam Fabulæ partem esse cui vna hæc persona non interueniat, si non ad oculum, saltim per transennam ostendam. Tu beneuole Lector,* Vale, nõ optimis ignosce, bonis fruere: *vos vero rigidi Catones è theatro vos proripite, aut post siparium continete.*

ARGVMENTA CAPITVM I. LIBRI I.

CAP. I. *De origine, natalibus & patria stultitiæ.*

II. *Stultitiam Naturæ esse amicam: & humani generis per cõtinuos mulierũ partus cõseruatricem.*

III. *Pueritiæ fidelem esse asseclam.*

IV. *Nec non Adolescentiæ.*

V. *Omni homini esse necessariam.*

VI. *Senibus maximo solatio.*

VII. *Nec à grauibus & cordatis viris alienam.*

VIII. *Etiam commentitiis Gentilium deastris familiarem.*

IX. *In ea fouenda muliebrem maxime sexum occupari.*

X. *Eandem amoris & amicitiæ esse conciliatricem.*

XI. *Coniugia & conciliare & fouere.*

XII. *Omni hominum ætati & ordini succurrere.*

XIII. *Animum hominibus addere.*

XIV. *In bellis magnam vim habere.*

LIBRI SECVNDI.

CAPVT PRIMVM.

Moriæ Natales, Genus, Patria.



OBILISSIMAM matronam, adeoque totius Mundi Reginam atque Imperatricem, cū omni suo mundo & ornatu, in scenam producturo, veniam haud grauatim, ò Poetæ, dabitis, si choragium veluti vobis tribuam, & in ipso principio, ad ostendendam tantæ deæ (ignoscite æque stulte loquenti) stirpem ac patriam, vestro vtar testimonio. Neque enim ista ignorare vos potestis, quibus à teneris vnguiculis, iam tum quum primulū caput scabere & vngues arrodere cœpistis magna sēper cū nostra hac matrona intercessit familiaritas. Dicitis ergo patris PLVTI esse filiam, eius scil. qui à superstitiosa Gentilitate pro diuitiarum & impe-

riorum deo fuit habitus. Ne quid vero illustris hęc deorum propago cum Minerua commune haberet, quæ (si vobis ipsis credimus) sine matre (vnde quidam ex vobis *patrimam* eam appellat: si non errant interpretes) è Iouis cerebro nata fuit; matrem ei adiungitis *Iuuentam*. Prima cunabula *Fortunatis* assignatis *insulis*, omnium deliciarum horto amœnissimo, id est, ipsis vestris campis Elysiis: vbi solum iucundissimi flores odoris perpetuo parturit, vbi viridantium arborum comæ numquam defluunt, ac rami partim maturis partim maturescentibus fructibus semper sunt onusti, vbi tellus ambrosiam vltro producit, fluminaq; & riui mero fluunt nectare, vbi, Labore, Senectute, molestijs, morbis ne nomine quidem notis cõtinua hilaritas regnum obtinet, triumphant deliciæ, millæ deniq; voluptates cuiuscumque generis vmquam desunt. Quid ergo mirum, si tali patre, tali matre, & tali loco nata filia, quamprimum os extulit, omnē

hunc

hunc Mundum, triſtem ante ac ſeuerũ, mira hilaritate & riſu ac iocis impleuit? In quo vlterius homini gratificari cupiens, ſtatim cum Baccho ac Venere iniuit conſortium, ac Iocos, Horas, Delicias, & in primis Adulationem in familiam ſuam adſcripſit; ſicque longum valere iuſsis omnibus moleſtijs, totam ſe in Voluptates effudit: deinde vniuerſum hominum genus aggreſſa, ſingulos ita ſibi deuinxit, vt qui nihil ei debere velit, riſum ac ludibrium omnibus debeat.

CAPVT II.

Moriam Naturæ amicam eſſe.

INtentius ea per quæ hominum propagatur genus conſideranti, nõ ſine cauſſa mirum videri poſsit, eſſe quemquã ſeu virũ ſeu mulierem, qui quidquã eò cõtribuere velit. Vt enim de viris nihil dicam (quibus quã noxia ſit eiuſmodi licet maxime naturalis congreſſus frequentatio, & Medicorum libri & multa alia teſtantur) quis non miretur, feminam poſt tantos quos in partu perpeſſa eſt dolores, & è mor-

è mortis faucibus ægre ereptam, marito rursus sese applicare, & in eadem præcipitare pericula? Numquid fatẽdum est, ipsum Naturę auctorem hac in re ita miscuisse Sapientiam cum stultitia, vt vtraq; æquabili quodam temperamento ad conseruandum hominum genus conspirent? Equidem pauca futura coniugia arbitror, si ad humanæ sapientiæ leges omnia quæ consideranda hic veniunt, exigantur. Audiamus quæ hac ipsa de re apud facetissimum Comicum lepidus senex Periplectomenes disputat. Postquam enim Pleusidi & Palæstrioni fortunas suas exposuisset, atq; etiam vtendas obtulisset, subiungit:

Nam mihi, deûm virtute dicam, propter diuitias meas Mil. Glor.
Licuit vxorem dotatam genere summo Act. 3.
ducere: sc. 1.
Sed nolo mihi oblatratricem in ædis intromittere.
PA. Cur non vis? non procreare liberos lepidißimum est?
PE. Hercle vero: verùm liberum esse, id multo est lepidius

PA. Tu-

PA. *Tute homo & alteri ſapienter potis es conſulere & tibi,*

O prudentem ſenem! Intelligebat quippe, vxorem ſine dote ducere, parum è re eſſe; cum dote autem, pænè idem eſſe quod in ſeruitutem ſe tradere. Equidem dotem luculentam inſanus ſim ſi cõtemnendam putem. Nec Philoſophia, ſed ipſũ macellum ac forum, ſententiam hanc perſuadet: quò cum veneris, facile intelliges quẽ & quantum vſum numus habeat, cuius beneficio omnia mortalibus contingunt, exceptis tamen animi bonis, quę alibi quærenda ſunt. Et ſane quis non pulcrum & feſtiuo homine dignum putet ad id quod per ſe lubenter faciat, id eſt, ad oſcula & complexus, dote quaſi ſtipendio quodam adduci? Quid vero miſerius, quam liberos ad certam quaſi ſpem egeſtatis procreare? Quid quod ipſe amor cum culina pariter friget ac calet? Quapropter vt Regum ac Principum imperia non modo facile ferimus, verum etiam ijs nos ornari putamus; ita ei qui coniugali vinclo ſe innodare vult aureos potius quam ferreos compedes

induendos existimẽ. Sed de hoc alibi. Nunc lepidissimum senem orationẽ suã amplius persequentẽ audiamus.

PE. Nam bona vxor, si ea quidem deducta est vsquam gentium,
Vbi eam possum inuenire? verum egone eam ducam domum.
Quæ mihi numquam hoc dicat: eme mi vir lanam, vnde tibi pallium
Malacum & calidum conficiatur, tunicaque hiberna bona,
Ne algeas hac hyeme. Hoc numquam verbum ex vxore audias.
Verum priusquam galli cantent, quæ me somno suscitet,
Dicat: Da mi vir, Calendis meam qui matrem iuuerit.
Da qui farciat condiatque: da quod dem Quinquatribus (rustica.
Precatrici, coniectrici, ariolæ atque ha-
Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicet? (quin munerẽ.
Tum patricam clementer non potest
Iam pridem quia nihil abstulerit, succenset ceraria.
Tum obstetrix expostulauit mecum, parum missum sibi. (quæ vernas alit?
Quid? Nutrici non missurus quidquam
Hæc atque huius similia alia damna multa mulierum,

Me vxore prohibent, mihi quæ huius similes sermones serat.

PA. *Dij tibi sunt propitii hercle. nam si istam semel amiseris*

Libertatem, haud facile te in eundem rursus restitues locum.

PL. *At illa laus est magna in genere & in diuitiis maximis,*

Liberos hominem educare, generi monumentum & sibi.

PE. *Quando habeo multos cognatos, quid opus sit mihi liberis?*

Nunc bene viuo & fortunate, atque vt volo, atque animo vt lubet.

Mea bona mea morte cognatis dicam, inter eos partiam.

Illi apud me edunt, me curant, visunt quid agam, ecquid velim.

Priusquam lucet adsunt: rogitant, noctu an somnum ceperim.

Eos pro liberis habeo: quin mihi mittunt munera:

Sacrificant? dant inde partem mihi maiorem quam sibi.

Adducunt ad exta: me ad se ad prandium, ad cœnam vocant.

Ille miserrimum se retur minimum qui misit mihi. Illi


Illi inter se certant donis; ego mecum mußito.
Bona mea inhiant; certatim dona mittant & munera.

PA. *Nimis bona ratione nimiumq; apertâ tu multum vides.*
Et tibi sunt gemini & trigemini, si te bene habes, filij.

PE. *Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum è liberis.*
Censerem emori, cecidissetne ebrius, aut de equo vspiam,
Metuerem, ne ibi defregisset crura aut ceruices sibi.
Tum ne vxor mihi insignitos pariat pueros postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem aut patum,
(aut broncum filium.

Vide, quæso, quam non minus vere quam lepide vrbanus senex matrimoniorum describat incommoda! quæ tamen Moria nostra ita condit ac facilia reddit, vt meræ deliciæ ac cupediæ videantur. Fac enim: contigerit alicui pudica, modesta ac pacifica v-

xor


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

xor, talis deniq; quale ipse, licet frustra forte, optes. Ea si per mortem tibi erepta fuerit; Deus bone, quantum dolorem, quos cruciatus, quæ lamenta sequi necesse est? Vnde fit, vt plerique ab omni deinceps abstinere matrimonio, & solitariam agere vitam in animum inducant. Quod si quis improbam, rixosam ac sumtuosam vxorem nactus sit, quæ vere fumus sit in domo, & Xantippen importunitate, feritate Medeam, Hecubam maledicentia repræsentet: quis non credat, tali monstro liberatum, nequaquam deinceps in simile molestiarum pelagus se præcipitaturum, nec pedem ad eundem lapidem denuo offensurum? Ecce vero, vix conditis defunctæ vxoris manibus, immo sæpe vixdum elato funere, tam hic quam ille, vel vno aspectu aut nutu pellecti liberis nouercam, sibi materiam pœnitētiæ & patientiæ exercitium inducunt: ita vt ipsi dein & fortunam suam deplorent, & stultitiam fateantur. Equidem non puto quemquam tam

im-

imperitum esse, quin summam hic naturæ prouidentiam agnoscat, quæ vt tanto melius vniuersa, præsertim hominũ genus sustentaret, sociam sibi quasi laboris Moriam adsciuit, vt quæ ipsa quodammodo respueret atque auersaretur, hæc homini commendaret, ac quasi inuito obtruderet.

Iam vt de Mulieribus, *quibus* (si Euripidi credimus) *stultitia innata est*, etiam aliquid dicam: quis nescit tantos esse quos in pariendo sentiunt dolores, vt in SS. litteris Infernalibus cruciatibus comparentur? Medea quidẽ apud eundem Euripidem ait:

Malim sub armis spiritum ipsum amittere
Quam parere vel semel modo.

Et vere Ouidius:

Partus reddunt breuiora iuuenta Tempora.

Quæ igitur mulier tantos labores ac dolores in pariendo perpessa ad eundem veluti ludum redire cupiat, nisi à blandissima hac domina, stultitia, inquam, manuduceretur? Non dico de ijs quibus & maritorum conuersatio illicium

illicium præbet, & ipsius coniugij lex necessitatem debitum persoluendi imponit. Viduas vide: quæ licet cum Didone initio firmiter statutum habebant,

Ne cui se vinclo vellent sociare iugali:
mox tamen Anna aliqua superueniens illud oggerit:

Hoc cinerem, aut manes credis curare sepultos?
vnde victæ illæ tandem nouo hospiti manus præbent, ac culpæ succũbunt. Verum vt hæ alienis persuasionibus; ita multæ suoipsarum ingenio in eundem reducuntur labyrinthum: præsertim eæ ad quas vel formæ bonitas, vel diuitiarum magnitudo non paucos allegat procos. Quia enim naturâ superbum animal est femina; mirum in modum pręsari se, ambiri, honorari ac quasi idolà coli gaudent. At miseræ! Illi vestri ambitores non vos, sed vestra quærunt. Valere ergo, inquis, & res suas sibi habere iubebimus? Sed non fert hoc domina nostra stultitia, sed illud occinit:

Stultitia pronuba.

Chi è

hi è morto, è morto:
hi è viuo, si conforti.
It: non à mortuis, sed à viuis
tium petendum esse. Quod vos
filium sequutæ, quum turtu-
ı more domi solitariæ manere
;emere deberetis, tamquam pa-
ıes explicatis pennis per plateas
ora oberratis, theatra ac publi-
ludos, nec nó conuiuia frequen-
s, vbi plerumque non erga eum,
pluribus ornatus virtutibus, &
vestræ fortunæ ac conditioni
ior, sed qui vel splendidius ve-
us fuerit, vel magis scitè salta-
it, vel licet fictum forte, arden-
·em erga vos ostenderit affectũ,
rdescitis, ac nouo iugo collum
ditis. Mox vero vt è Charybdi
cyllam vos incidisse, resq; om-
; vestras Mandrabuli more suc-
lere animaduertitis: prioris
:mores tam præsentem fortu-
m quam stultitiã vestram dam-
tis: cui tamen & vos & omnes
 hanc

hanc gratiam debent, quod iteratis coniugijs quum ad augendum tum ad conseruandum hominum genus non parum subsidij confertur.

CAPVT III.

Infantibus & pueris amicam esse Stultitiam.

INfantes ac pueros non parentibus solum ac cognatis, verum etiam alienis, immo omnibus humani aliquid habentibus in delicijs esse, vlnis circumgestari, ad pectus apprimi, osculis pæne suffocari videmus. Pyrrhum adhuc puerum domestici quidam, ne à Cassandro interficeretur, ad Glauciam Illyrici regem deportarunt: verum hic Cassandri inimicitiam veritus, vtrumne puerum acceptaret, an aliò ablegaret, aliquantulum ambiguus hærebat. Interim puer, ad regis vsque solium adrepens, digitulis suis eius apprehensa veste, in pedes sese erexit, primo quidem non sine tam

Pueri amabiles.

Plut. in Pyrrho.

Regis

;is quam aſtantium riſu. Verum
uciam in tam tenera ætate quaſi
plicantis habitum admiratum
a ſubito invaſit pietas &
miſeratio, vt puerum vxori v-
um regijs liberis educandum
m atque etiam commendarit:
vnquam induci potuit, vt Caſ-
dro quamuis ducenta promit-
i talenta, eum traderet: adeo vt
potentiſsimo rege inimicitias,
no bellum ſuſcipere maluerit,
m ſimplicis ætatis puerum pro-
e. Vnde rectè Tragicus:

—Senſus quidam etiam infantibus
Malorum eſt inditus.
Ecce quamuis tacens rogat te
hic, ô pater.

Quid, quod non homines tantū,
etiam ipſæ feræ infantium ra-
nem habent, eis parcunt, im-
o etiam vbera præbent, & vitam
nſeruant. Sic Iuppiter infans à
pra, Telephus à Ceruo, Cyrus à
 Cane,

Cane, Romulus & Remus à Lupa, Paris Troianus ab Vrsa, Camilla Volscorum regina ab Equa lactati, & multi alij ab alijs bestiis seruati dicuntur. Quid vero aliud caussæ sit, cur tam immanes alioqui & feroces bestię creaturis istis parcāt, quam simplicitas illa, stultitiæ proxima; quam ipsa natura sua protectione ac tutela dignam putat, non ignara, quam multis fortunæ & calamitatum telis hominum vita sit proposita. Scitè Lucretius:

Tum porro puer vt sæuis proiectus ab vndis
Nauita nudus humi iacet infans, indigus omni
Vitai auxilio, quam primum in luminis oras
Nixibus ex aluo matris Natua profudit,
Vagituque locum lugubri complet, vt æquum est,
Quum tantum in vita restet transire malorum.

Et Ouidius.

Editus in lucem iacuit sine viribus infans

Mox quadrupes, rituque tulit sua membra ferarum.

Hoc ipsum tamen, vt & pleraque alia, lenocinante simplicitate, etiam rigidis Catonibus tam grata sunt atque iucunda, vt è dictis & factis tenellæ huius ætatis maior voluptas, quàm è facetissimi alicuius parasiti dicterijs aut iocis hauriatur.

CAPVT IV.

Stultitiam multum gratiæ adolescentibus conciliare.

PVeritiam excipit adolescentia; cuius viæ tã obscuræ sunt ac difficiles, vt Sapiens dicat: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo; viam colubri super petram; viam nauis in medio*

mari, & viam viri in adolescentia. Hęc æ atis pars ver est humanæ vitæ, vt aiebat Pythagoras; quā quidem nihil tam commendat quam quæ à pueritia restat adhuc simplicitas, malignitatis expers. Hinc Aristoteles ait, Adolescentes non esse malitiosos, sed faciles, quod nequitias nondum experti sint. Quæ etiam, meo iudicio, caussa est, quod iidem ab omnibus amantur, fouentur, diriguntur, promouentur, sic vt certatim quisque de eis bene mereri cupiat, maximè verò si non præter aut supra ætatem sapiant, nec frontem minus maturè caperent, sed tam in ocio quam negocijs iuuenilem quandam alacritatem præ se ferant. Horatium audiamus.

2, Rhetor.

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,

De arte Poetica.

Vti-

Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix.

Excute singula; numquid quot verba, tot pænè Stultitiæ genera agnoscis? Et tamen non feruntur tantum hæc in iuuenili ætate, verùm etiam amantur ac commendantur; ita vt in quo hæc non sint, monstri similis putetur. Certè Oceanus illæ Sapientiæ Homerus ita canit: 7. Odys.

Nam Iuuenes semper stultescunt.

Et Agatho:

Iuuenilis ardor impetu primo furit:
Languescit idē facilè, nec durat diu.

Q. Calabri mimus sic habet:

Audax animus inest Iuueni leuisq; mēs,
Ea propter alta cogitāt, stulta loquitur.

Apud Euripidem nonnemo ita se excusat: In Andromeda.

Nā me Iuuentæ feruor & vis impulit:
Quarum mihi rerum affatim est, mentis parum. *Stultitia excusatur.*

Quid denique in communi ho-

num vita vſitatiùs, quàm adoleſcentiæ erroribus ſtultitiæ excuſationem prætexere? Gaudete ergo tanta patrona, ô Iuuenes, patrocinio tamen eius moderatè vtimini: ne quod vos ſtultitiam dicitis, alij Inſaniam & Furorem interpretentur. Quanquam profectò (de maiori loquor parte) vos poſtulare ſapere, ſit verè cum ratione inſanire.

CAPVT V.

Stultitiam virili ætati eſſe neceſſariam.

Vnicuiq; ætati ſui mores.

MAtureſcenti iam & corroboratæ iuuenili ætati, mirum eſt quantum feſtiuitatis, gratiæ & leporis decedat.

Horat.

Conuerſis ſtudijs ætas animuſq; virilis
Quærit opes & amicitias, inſeruit honori:
Commiſiſſe cauet quod mox mutare laboret.

Age, da mihi iuuenem aliquem ante annos ad virilia ſtudia properantem, id eſt, rei augendæ in illa

ætate

ætate vnicè intentum, ambientem honores, nonnisi seria loquentem, tætricum, superciliosum, &c. quid quæso, tali homine fieri posset inuenustius, quid molestius? Etsi verò hæc ipsa in viro non damnamus, immò laudamus: facilè tamen intelligi potest, qui hæc ambiat, in multa pericula se præcipitare. Et quid, quæso, hic dominatur nisi mera stultitia? Laudi huic ætati datur, si ad honores emergere & opes acquirere conetur. Sed quotusquisque hoc facit, quem non Magistra hęc nostra quasi manuducat?

Cum ætate ambitio & auaritia et crescunt.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Cur quæso? nisi quod stulta hæc persuasio animo penitus insedit, *pecuniam*, vt cum eodem Poëta loqui pergam, *primum quærendam esse; virtutem post nummos.* Sed audi, sis, mi homo:

Isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis rectè; si non, quocumque modo rem,
Vt propiùs spectes lacrymosa poëmata Puppil:
An qui Fortunæ te responsare superbæ
Liberum & erectum præsens hortatur & aptat?

Cõsilium huius melius esse, non opinor, negabis, nisi à recta ratione planè sis destitutus. Cur ergo plerique relicta virtute, opes, honores, vel, vt rectius dicam, inanē caducarum rerū vmbrā sectantur? Suadet scilicet hoc illis Stultitia, sed sapientiæ velo tecta: quæ tum demum manifestius deprehenditur, quum miseri in medijs acquirendarum opum aut ambiendarum dignitatum conatibus ab aduersa fortuna opprimuntur. Quis enim tum nō exclamat: O malè consultum, ô stultū hominem, qui intra mediocritatis limites se continere nequi-

Successu consilia æstimantur.

nequiuerit! Ecce vti coruus hians delusus, sibi ludibriũ, suis luctum, gaudium hostibus conciliauit! At si cui res benè successerit, Sapientiã eius omnes in tã viridi præsertim ac vegeta ætate admirantur, & ad cœlum laudibus efferunt: quæ tamen si propius spectetur, mera Stultitia est, sed secundæ Fortunæ brachijs sustentata. Quid multis? per omnes omnium hominum ordines oculos circumfer, actiones eorum, fortunas, casus propius adspice; stultus sis profectò oportet, nisi Stultitiam vbique se immiscere, adeoque Principatum obtinere deprehendas.

CAPVT VI.

Stultitiam senibus perfamiliarem esse & quasi contubernalem.

QVàm importuna, molesta, ac damnosa merx sit senectus, Beatus Cyprianus his verbis testatur. *Senectute confectus homo* *Senectus molesta.*

ad interitum properat, dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat. Vnde rectè, quamuis minùs grauis auctor Menander:

Omnem delet vim senectus corporis.
Time senectutem: non sola enim venit.

Et Euripides: *Eheu quàm multas habet senectus ægritudines! Non potest autem fieri vt senex diu viuat. Aetas enim longa plurimas adfert calamitates. O senectus, qualem voluptatis spem de te præbes! Et omnes homines ad te cupiunt peruenire. At qui iam experitur, pœnitentia ducitur: Qua nullum est grauius humano generi malum.* Nec verò senes alijs tantum, sed sibi ipsis quoque molesti sunt ac quasi intolerabiles; natura morosi, difficiles, queruli. Vnde si fortè talis aliquis læto alicui vel conuiuio vel

Odiosa.

sermo-

ſermoni hominum minimè auſterorum interueniat: ſtatim omnes velut obiecto Meduſæ ore, in ſaxa quaſi mutantur, cicada ante vocaliores, piſce magis muti fiunt; ridentes frontem caperant; ſaltabundi, quaſi ſtipites ſedent; omnes denique quam maximè procul illum amotum cupiunt. Quis non graue hoc dicat ſenectutis incommodum & quantouis pretio redimendum? Sed benè habet. Ecce vobis, ô ſenes, paratum moroſitatis veſtræ condimentum: ſed quod, velitis nolitis, à ſola Magiſtra Stultitia petatis, neceſſum eſt. Vt verò tamquam in ſpeculo propoſitum, ad quod vos moreſque veſtros conformetis, habeatis exemplum; en Plautinum illum lepidiſsimum ſenem iterum in ſcenam produco. Is mores ſuos ita prædicat:

Eoq́ ſtultitia condienda.

Milit. glor. Act. 3.

Et ego amoris aliquantum habeo humoriſq́ meo etiam in corpore:
Neque dum exarui ex amœnis rebus & voluptarijs.

Vel cauillator facetus, vel conuiua commodus
Item ero. neque ego obloquutor sum alteri in conuiuio.
Incommoditate abstinere me apud conuiuas commode
Commemini; & mea orationis iustam partem persequi;
Et meam partem itidem tacere, quum aliena oratio est.
Minime sputator, screator sum, itidem minime muccidus, &c.
Neq; praeripio pulpamentum, neq; praeuorto poculum:
Neque per vinum vmquam ex me oritur dissidium in conuiuio.
Si quis ibi odiosus est, abeo domum, sermonem segrego.
Leporem, amorem, amoenitatemq; accubans exerceo, &c.
Tute me vt fateare faciam, esse adolescentem moribus.
Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens.
Opus erit tibi aduocato tristi, iracundo; ecce me. Opus

Opus leni; leniorem dices quam mutum
est mare,
Liquidiusculusq́ ero quàm ventus est
Fauonius.
Vel hilarissimum conuiuam hinc indi-
dem expromam tibi,
Vel primarium parasitum, atq; opsona-
torem optimum, &c.

Quis vobis hic senex videtur? Numquid lepidus, & ipsarũ quasi Gratiarum manibus factus? Atqui eum talem in illa ætate Natura minime fecerat, sed Moria finxerat. Quamuis profecto religio mihi sit Moriam appellare, quæ tamquam Medea quædam senes recoquit, ac per se graui, ac tam sibi quã aliis omnibus molestæ ætati tantum leporis ac gratiæ conciliat, *vt eorum benignitas* (loquor cum eodem Plauto) *oppidò vt adolescentulorum sit.* Nec satis hoc. Quàm multos senes videas, qui sepositis grauioribus studiis & negotijs, voluptatibus, & Amori inprimis

totos

Senes amatores. totos se dedunt? Hinc canos tingũt, cinnos calamistris inurunt, caput sertis, vt olim C. Iulius Cæsar laurea corona, exornant, vt caluitiem tegant, barbam, crines assiduè radunt, vnguenta, muscum, ambram olent, lenones ac lenas sectantur, quin etiam ad magicas artes nonnunquam confugiunt, vt amoribus quos expetunt potiantur, iocantur, procantur, ineptiunt, saltant, tam multa ridicula dicunt ac faciunt, vt etiam ἀγέλαστῳ illi Crasso risum mouere possint; cum puellis denique (publicam rem quoque interdum depeculantes) non tam matrimonium cõsummant, quàm patrimonium, atque ipsam etiam vitam consumunt; ante tempus eneruatis impotente luxuria viribus, Orco prædę futuri. Alij, quod trito

Bis pueri. dici solet prouerbio verè *bis pueri* sunt: & quia Pares cum paribus facillimè congregantur, nullis lubentiùs quàm pueris sese applicant; qui iti-

itidem eorum consuetudine vnicè delectantur, eorumque complexus expetunt. Et profectò dubium non est, quin multi boni senes dum cum pueris ludunt, hoc vno remedio molestias quàm commodissimè abstergant, atque ita sine vllo doloris, aut etiam ipsius mortis sensu, vitam hanc placidè transeant. Sed quid multa? Numquid Delirium (stultitiæ vtique genus) fida senectutis est comes? Cui illa, quam diximus, laborum, dolorum atque ægritudinum omnium obliuio atque ἀναισθησία, maximè accepta ferenda est. *Deliri.*

CAPVT VII.

Etiam grauibus viris Stultitiam vt familiarem, ita vtilem esse.

EX ijs quæ hactenus dicta sunt, cuiuis perspicuum est, quam latè per omnes hominum ætates Stultitiæ pateat imperium: quod dum

dum nonnulli, & ij inprimis, qui graues ac cordati videri volunt, detrectant ac contemnunt, Deus bone, quantis se laboribus onerant! quantis implicant periculis! De ijs loquor, qui ad honores ac dignitates totis viribus connituntur, atque anhelant: etsi non ignari eius quod S. Augustinus dicit, *Sublimitatem honorum, magnitudinem esse scelerum.* In quã eandem sententiã S. Greg. *nihil aliud* inquit, *est potestas culminis quàm tempestas mentis: Quanto dignitas est altior, tanto casus grauior.* Et S. Hieronymus: *In maiori gradu maior est pœna.* Sexcenta id genus adferri possent. Quocirca rectè quidam ex illo ipso hominum genere, Stultitiæ illos condemnandos putat, qui regium diadema humi iacens tollere, suoque capiti imponere non dubitarent. Qui si altioribus illis curis expediti, Stultitiam sectarentur, quietam sanè ac felicem vitã acturi forent. Nunc vide-

Ambitio periculosa.

videmus, cordatos illos, graues ac ſapiẽtes viros, qui vel dies noctesq; arduarum litterarũ ſtudijs incumbunt, aut Principum ac Rerumpublicarum negocia aſsiduè tractant, pallore ac macie deformes, ante annos ſenium contrahere, viteque filum quaſi ſibiipſis incîdere: idiotas è contra omniſque litteraturæ expertes homines, fungos, inquam, illos ac fatuos, qui non multò plus ſapiunt quam ſus occiſa, eoque in nullam publicarum curarũ partem veniunt, ſed domi tantum genio indulgent, eximio totius corporis robore ac nitore eſſe præditos. Experientia quidem comprobatum eſt, præcocem in pueris, atque immaturam ſapientiam, immaturæ mortis eſſe indicem, anticipante quaſi ætatis fructus Naturâ. O beatos igitur, quibus cum triſti illa MINERVA quam minimum eſt commercij! Id quod illæ ciuitates optimè intellexerunt, quæ

Seria valetudini inimica.

Ostracismus. quæ publico decreto (Ostracismum vocant) eos quorum virtus & sapientia cæteris esset admirationi, patria exsulare iusserunt; vt non ita pridem Senenses, qui propterea nõ extremo loco inter Stultitiæ cultores adscribi debent. Bononienses quidem ob summam doctrinam, prudentiam ac sapientiam non immeritò celebrantur: apud eosdem tamen libri optimi, quos Sapientiæ vasa iure appellare possis, in Bibliothecis catenis alligati ostenduntur; stulti è contra patritiorum ac ciuium liberi non modò in foro ac passim liberè ac voluptariè oberrant, verum etiam in medio Senatu, vbi cõsilia de rebus grauissimis habentur, sedent. O quam multi fatui ac stulti Florentiæ, Mutinæ, Parmæ, Mediolani, &c. inter ciuium liberos reperiuntur, qui in sapientiæ studijs frigidè admodum versantur, & à Doctoratus vel Magisterij gradu ab-

ho

horrent, eò quòd dignitatis huius (vt verum fatear) hodie nimium peruulgatæ, non autem ignorantiæ ac ſtultitiæ ipſos pudeat! Iidem tamen in publicorum munerum administratione eruditis ac ſapientibus præferri volunt: qui hoc ipſo nomine Sapientes cenſendi ſunt, quòd ſplendidam ſeruitutem illis nõ inuident, quum etiam non pauci Imperatores, Reges ac Principes, poſt occupata regna, ſubactas prouincias, ac præclaros admodum partos triumphos, curis publicis ſe abdicare, atque in hortis ſuis intra priuatos parietes quietam vitam agere maluerint, & ſua ipſorum confeſsione, tunc demum ſibi rectè viuere viſi ſint. Poſſem alios non homines tantùm, ſed integras ciuitates ac populos adducere, qui iucundam hanc minimeque tetricam dominam tantùm non adorant, & quà poſſunt, iuuant ac defendunt: adeoque ab hac vna po-

Fatui ſæpe ad clauum.

Sapientes latent.

tùs

tius quam ab omnibus aliis rebus temporalis felicitatis petenda præsidia, arbitrantur. Nec mirum. Quomodo enim mortales tuum subterfugiant imperium, quæ olim etiam deos cœlo imposuisti?

CAPVT VIII.

Stultitiam Gentilium deastros finxisse.

NEMO hoc, opinor, mihi negabit, qui tam deos Ethnicorum, (si diis placet) quam eorum cultum cognouerit. Non ego hic illos minorum gentium ac patellarios, Nixios, Cuninos, Statilinos, &c. atque etiam Stercutios in medium producam, quorum vel nomina sine risu quis legere vel audire non possit: sed ex summatibus paucos suis velut coloribus, idque quam fieri potest breuissimè (hoc enim argumenti genus à multis aliis, ac præcipuè Christianæ religionis Antistitibus fusè tractatũ est) de-

Ridiculi Gentilium dij.

deſcribam. Primo Iouem illum tonantem, fulgurantem, fulminantem, deûm patrem atq; hominum regem, (vt eũ Poeta indigetat) videamus. Numquid ſtultum ſit credere deum optimum maximum (ita enim ab Ethnicis fuit habitus) patrem ſuum, (at quem? filios ſuos ſcilicet, atque etiam lapidem pro filio ſuppoſitum, vorantem) regno expellere, ſororem in in vxorem ducere, nec eius inceſtuoſis nuptiis contẽtum, iam tauri, iam aquilæ, iam cygni, atque etiam aureæ pluuiæ forma, infinita adulteria perpetrare? Marten ſeueriorem finxit Gentilitas: ſed quid magis ab omni ratione alienum, quam rem tam horribilem, tam exſecrandam (Bellum intelligo) populorum peſtem, cruentam humani generis perniciẽ, diuinitatis nota cõſignare? Apollo ille, cythare inuẽtor, at coryphæus Muſarum, quẽ non minus ſedulo quã par-

Iupiter.

Mars.

Apollo.

parturiẽtes Lucinam, ad fetus ſuos excipiendos ac poliendos Poëtæ inuocant, quàm multa ridiculè, laſciuè atque etiam impiè facit, dum libidinis æſtu agitatus Daphnen perſequitur, dum venenatis ſuis ſagittis hominum genus configit?
Mercurius. Quid vmquam vidiſti ad furta ac fraudes magis appoſitum, quàm Deorum illum (ſcilicet) internuncium?
Bacchus. Iam Bacchum illum quis non rideat, ventricoſum, pampinis redimitum, craſſo dolio inſidentem?
Sileni Silenos omitto ebrios, ſanguineis ebuli baccis rubentes: quos ipſa Gentilitas pro materia riſus habuit.
Alij. Inſanire dicam, ſi quis Pana, Satyros capripedes, Faunos, atque eiuſmodi alia quam plurima monſtra non in deorum, ſed hominum cenſum venire velit. Deas omnes (ſcilicet) quas ſtulti Ethnici ſibi finxerunt, ſilentio prætereo: vt & ridicula, immò impia ſacra, quibus illi vtriuſque ſexus (aliter enim dura-

durare non posse existimabant) deastros suos coluerunt. Nec satis est, quod in his nugis confingendis ipsi Gentiles ineptierunt, immò insanierunt; nisi etiam illos ipsos suos deos totos Stultitiæ deditos comminiscerentur. Amat Iuppiter, amat Apollo, ipse Mars Venerem ad adulterium pellicit; furatur Mercurius, insidiatur; potat Bacchus, saltant Satyri, Pane calamos inflante: atque omnes hos deos iratos habeam, nisi omnis illorum vita, omnes eorum functiones atque actiones mera Stultitia occupātur. Et quam aliam ob causam Momum cœlo ab eis deturbatū putamus, quàm quòd grauem ac seuerum censorem, stultitiæque interpellatorem ferre non possent? qui in terram delapsus, satis mirari non potuit, hic quoque inter mortales Stultitiam regnum tenere. Sed mirari desijt, postquam superciliosè consideratis hominum

Stultitia operātur.

Momus.

qualitatibus, rationi ac sapientiæ vix vllum locum esse animaduertit.

CAPVT IX.

Et fœminas sua natura stultas esse, & viros stultos facere.

Cur mulier viro adiuncta.

SI quis ex me quærat, cur Deus optimus maximus homini ad vniuersi huius imperium creato Mulierem adiunxerit, non equidem sine caussa respondere mihi videor, vt haberet quicum sese oblectaret, ac graues curas è sapientiæ studijs, ac serijs actionibus haustas dilueret. Est enim Mulier tam mirabilis, ac stulta creatura, vt Plato dubitarit, vtrum animalibus ratione præditis vel rationis expertibus accensenda sit, teste Eusebio *lib.* 12. *cap.* 7. *De Præparat. Euangelica.* Peiùs multò atque inhumaniùs Simonides, cuius versus è Græco versos non possum quin hoc loco adscribam.

Primum

Primum seorsim à famina mentem Deus *Suis naturam habet.*
Creauit, illam ex hispida setis sue,
Cui cuncta cœno fœda sordidè domi
Humi supellex turpiter prouoluitur;
Illota, & ipsa veste turpis, squallida
Pinguescit alto desidens in stercore.
Aliam è scelesta vulpe formauit Deus, *Vulpis.*
Quæ cuncta nouit, nec boni quidquam aut mali
Ignorat, hoc in genere plurimùm boni
Inest, malique plurimùm, ac sapè temere
Modò huc, modò illuc flectit ira mobilis.
Alia parentem moribus refert canem, *Canis.*
Maledica, cuncta audire, cuncta cernere
Intenta, & acri cuncta figens lumine,
Passim errat: & si neminem conspexerit,
Oblatrat. hanc vir nec minus compescere
Queat nec ira turgidus si excusserit
Ei silice dentes, nec suaui blandiens
Sermone, nec si sedeat inter hospites,
Sed pertinaci iurgio incassum furit.

Facta è Terra. Hanc fabricarunt terream dij, inutile
Onus marito, nec boni quidquã aut mali
Quæ nôrit; vnũ id docta tantũ, gnauiter
Comesse: & algens, bruma quum induxit niues
Horrens, sedile propius ad focum admouet.

E Mari. Nunc animam ad illam verte quæ nata est mari,
Modo læta, totum gaudet ac ridet diem,
Vt hospes illam laudet intuens domi,
Nullamq; iuret feminã vsquã gentium
Bonis, honestisq; hac priorem moribus.
Alias nec vlli facilis adspici, neque
Patiens adiri propius, indomitum furit;
Ceu feta catulis accubans teneris canis
Insuauis, aspra, tristis, ex æquo hostibus,
Eadem atq; amicis; instar instabilis freti
Quod nunc per æstum leniter stratum iacet,
Fluctu quieto, & gaudium nautis parit;
Plerumque vasto sæuiens cum murmure,
Attollit vndas, illius planè refert
Quæ nata ponto femina est, imaginem,
Ingenio & ira, ceu fretum, mutabili.

E Cinere & Asina. E cinere & asinâ exercitâ molestijs
Effictà, tandem vix coacta vi & minis,

In officio erit, desidens in angulo
Noctem diemq; se cibis ingurgitat,
Focumq; sese propter etiam ingurgitat;
Ad Veneris autem facta amicum quem libet — Ex mustela.
Aduentitantem suscipit promissione.
Mustela genuit aliud infelix genus
Miserumq; forma nulla cui sit gratia,
Nil suaue, nulla illecebra, nil amabile,
Inane amoris atque mansuetudinis, — E cinere & asina.
Et coniugalis negligens thori, viro
Præsente, acerbo nauseat fastidio,
Furtisq; multis noxia est vicinia,
Nondum immolatis vescitur etiam sacris.
Aliam equa molli genuit exsultans iuba, — Ex equa.
Fugitans laboris & operum hæc seruilium est,
Nec admouebit aut molæ manum, aut cribrum;
Tollet, domo nec efferet sordes, neque
Furno aßidebit, verita, ne fuligine
Contaminetur. Se coacta coniugi
Simulat amicam, bis quotidie interim
Ter abluit se & spargit vnguētis comam
Densam per humeros fusa, flore verticem

Digitized by Google

Vmbrata, pulchrum ceteris spectaculum,
Miserum marito, ni tyrannus quispiam
Sit rexve, gaudens apparatu huiusmodi

E simia. *Hæc è parente simia est: qua Iuppiter*
Non tribuit homini pestilentius malum,
Huic singularis oris est deformitas,
Gradiens per vrbem, risui est omnibus,
Ceruice circum vix caput flectit breui,
Depygis, arens osseis crura artubus.
O tale monstrũ quisquis amplexu fouet
Miserum maritum! Callet instar simiæ,
Mentesq; moresq; omnium: nec soluere
Risu ora curat, nec studet quidquã boni
Facere, sed vnum id cogitat totum diem
Secumq; versat arte qua tandem scelus
Designet aliquod maximè nefarium.

Ex ape. *Ex ape errata coniugis felix vir est,*
Quæ sola nulli criminî est obnoxia,
Vitamq; longam, & floridam facit viro,
Charoq; chara consenescit coniugi,
Fecũda pulchræ & splẽdidæ propaginis,
Interq; cunctas fœminas spectabilem
Decore circum gratia ambit vndique
Diuina, segnes nec frequentat circulos
Vbi de Venereis fabulantur feminæ.
Tales mulieres Iuppiter longè optimas

Et sin-

Et singulari praeditas prudentia,
Praebet benignus & fauens, mortalibus.
At reliqua genera callido Iouis dolo
Creata cuncta sunt, & apud homines manent. *Pleraque omnes mala.*
Has nempe pestem Iuppiter grauissimam
Produxit, etiam vt ferre si quid cõmodi
Videantur, ipsum id sit marito incommodum,
Nec integrum vnquã trãsigit laetus diẽ
Qui cum muliere degit vna; nec famem
Diram à familia cõtubernalem, deumq;
Hostem repellet facile. Quum vir maximè
Animo videtur laetus, aut fato deûm,
Aut hominis ergò, tum reperta criminis
Occasione comparat se praelio.
Nam sicubi aedes vxor vllas incolit,
Nunquam hospes hilare poterit illic excipi.
Quod si qua frugi existimetur maximè,
Longè supra omnes illa damnosissima est,
Nempè oscitante coniuge, at vicinia
Laetatur errore eius, & raptam ad suam
Animam retorquens, quisque laudat propriam,
Culpat alienam coniugem, cum ceteris

Nec esse parili sorte nos cognoscimus.
Nam maximum istud Iuppiter genuit malum,
Vinclumq́ nodo strinxit insolubili:
Vnde explicauit Pluto morte plurimos
Mulieris ergò conserentes dexteras.

Hæc quidem ille Poetarum more, satis inclementer in mulieres: quæ tamen quodammodo mollit ac corrigit, dum nonnullas sed paucissimas Apum similes facit. Id verò ipsum elogium alius ex eodem hominum numero, & quidem antiquissimus conuicio satis aspero diluit, dum Iouem ait *viris dedisse mulieres difficilium laborum socias, sed vt fucos apibus.* Nota est Ocni seu fabula seu historia. Et Euripides de totius sui sexus genio atq; ingenio sic quampiam loquentem inducit: *Mulieres, ad bona quidem sumus ineptissima, malorum verò omnium effectrices sapientissima.* Si quis verò roget, vnde ista fœmineæ naturæ ad bonum imbecillitas; non ineptè forsan ei respon-

Hesiodus.

Alciat. in Emblematis.

Euripides

respondebitur. ex minus æquali humorum temperatione, & imbecilliori animæ, quod corpus est, seu domicilio seu instrumento. His enim affectus ac mores conformari, Philosophi docent. Quum ergo affectus in femineo sexu plerumque tam sint violenti (vnde Prouerbium, *Mulierem aut minus Cane, aut plus Seniore iacere*) vt ratione gubernari se non patiantur; non sine causa ab omni imperio arcentur publico inquam, & priuato. Bodinus non apud Gallos modo lege Salica, sed communi Assyriorum, Persarum, Hebræorum, Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum, Abyssinorū, Pœnorum, Germanorum, Scytharum lege feminas longe ab imperio repelli scribit. Superioribus tamen temporibus Aragonios ad Petronellam, Castellanos ad Isabellã, Mantuanos ad Matthildem, Neapolitanos ad vtramque Ioannam, Norwegos ad Margaritam; deinde Na-

Mulieris imbecillitas vnde.

Ob quam imperio arceantur.

uarros quoq; & Lotharingos ad feminas imperij summam detulisse: in quo & diuinas leges, quæ feminas imperio virorũ diserte subijciunt, & ipsius naturæ iura, quæ maribus imperãdi, iudicãdi, concionãdi, belligerãdi potestatẽ dedit, feminis ademit, violari queritur. Etsi vero vnius aut alterius, quę à nostra ætate propius absfuerint & imperiũ viriliter ac sapienter administrauerint, exemplum produci potest: plures tamen immo pleræque vel ad se vltro delata, vel vi aut fraudibus arrepta potestate ita vsi sunt, vt tam se quàm ipsum imperium euerterint. Zenobia cum xxx. tyranni Psalmyrenem inuasit; sed paulo momento deiecta est ab Imperatore Aureliano: Irene, quum Græcorum suscepisset imperium, à Nicephoro pulsa est in monasterium, Tomyris, Thalestris, Semiramis, aliæ, quæ filiorum nomine imperarunt, parum feliciter in administrã-

da

da Republica verſatæ ſunt. Acerbius Turcæ de feminis ſtatuunt, apud quos in vniuerſum omnia mulierũ tam in ciuilibus quam criminalibus cauſsis teſtimonia nullam vim habent, immo nauci habentur. Quam, quæſo, aliam ob cauſam, niſi quod in ſequiori hoc ſexu immoderatos affectus, id eſt, vitia, ſupra viros, regnare animaduertant; eoque minime publicarum rerum adminiſtrationi aut grauibus actionibus admouendas, ſed domum ad colum & lanam ablegandas eſſe. Sed profecto neſcio in pleriſque ab magis deſipiant viri, etiam docti & cordati; qui quum non ignorent quæ virtutes honeſta & graui femina dignæ ſint, diuerſas tamen plerumque ſectantur, nec ſapientia, ſed *ſtultitia* pronuba ad matrimonia ducuntur. Cuius rei in elegantiſs. ma illa ſua Epiſtola, *An litterato viro vxor ducenda ſit*, graphicũ exemplum ponit Heinſius: quod facere non

Virorum in deligendis vxoribus Stultitia.

Lepida Narratio

possum quin adscribam, vt alij in id tanquam speculum intuentes, ex aliena Stultitia sapere condiscant. *Noui*, inquit, *quendam optimo genere prognatum, qui nō ita diu est ad plures quā discessit. vocatus quodā tempore ad cōuiuiolum quū esset, euenit ibidem puella quoque vt esset, mire arguta ac venusta. Myrothecium Veneris, leporum ac elegantiarum omnium meram effigiem dixisses: vultu autem ita festiuo, ita emendato, nihil vt amari supra à quoquam possit. Accedebant, oculi (dij boni, quales!) voluptate ac illecebra plenissimi, aucupium amoris. Osculum praeterea exiguum, quod vestibulum Cupidinis, Gratiarum pyxidem Poetarum more in carmine vocares. Iam verò in choreis si quando pedem poneret, praeter ipsam artem ita lubrice ac agiliter saltare erudita, singula vt membra non moueri, sed natare ac fluere diceres. Hic quid faceret, primum adolescens, tum quod rei erat caput, Poeta, benigna in amorem materies & prona? Primo scribere versiculos,*

culos, mox eius amore deperire cœpit. Quid multa? Ambit, & post menses aliquot exorat; homo opulentus quidem satis, sed qui durum in primis & illepidum in liberos parentem haberet, nouam matrimonij crucem & calamitatem. Ceterum quum ille aliud ageret, illa autem in lecto virum non poetam in carmine desideraret; cœpit ei cum vicino quodam homine vilissimo, sed robusto admodum, bellè conuenire. Interea optimus atque ornatissimus vates Iliada & Vlysseam totos dies cantillabat, aut fortasse Diuæ Castitati scribebat hymnum: at illius, coniux in alterius amplexibus diligenter versabatur. Nec misero prodesse in tali tempore quibat quod elegias tersissimas scribebat, & alternos versiculos Ouidiano more (nam religiose id quidem obseruabat) duarum syllabarum voculis clausisset. Noctu autem quoties ius suum peteret maritus, illa, vt plurimum, cunctando, & lenonia difficultatis arte, honestatem suam quam prostituebat foris, apud virum tu-

ebatur. Id autem tædio ignauiæ illius, non pudicitiæ amore fiebat, quæ vnius viri obsequio in matrona censetur. Ille interim si quando cum amicis animum remitteret, quum præsertim aliquantulum maderet, de pudore coniugis & castitate totos dies peierabat, sæpe ne absente quidē illo qui mensurā corporis illius iuxta ac maritus cognitam habebat ac perspectam. Multa in illo iuuene conuenerant, quæ singula coniugij serenitatem turbare poterant. Meditationibus assiduis neque dies neque interdum nox ponebat finem. Quemadmodum auarus fenori, ita horas omnes & momenta cogitando aut scribendo destinabat. Iam incredibilem vigorem animi prima ætate ad libidinem adpulerat: quo hoc consequutus erat, vt ex illo pristino ardore nihil præter vitæ cælibis impatientiam reliquum haberet: cætera coniugij præsidia, & in primis illud maximum, ante coniugium consumpserat. Quæ res sicut corpus, ita animum disiungit atque auertit. Itaque

taque in præsenti re quum versaretur, & iam viro esset opus, continentiam aut temperantiam plerumque laudabat: & vt hoc vxori persuaderet, è Platone suo multa & Aristotele de summo bono & intensione mentis adferebat, animo paratus miles, sed quem aliqua (quod fit quũ ætatem libido anteuertit, & mox deserit) calamitas attigerat. Interdum quoque locum aliquem Pollucis aut Festi felicissime à se emendatum pueriliter propemodum quum gauderet, ne hoc quidem gaudium apud coniugem dissimulare poterat. Ceterum matrona venustissima, quæ in Aristotele ac Platone nihil vmquam legerat de acumine quoque & sagacitate Critica nihil audiuisse videbatur, vnius loci emendationem serio optabat, quem corruptum esse, ipse quoque licet summus Criticus & optimus Poeta ignorabat. Prima autem nocte quum hilaritati & Patri Lyæo indulsisset plusculum (quod nec recte nec ordine à quibusdã fit) illa autem pro virginitate, vt mos

Digitized by Google

est puellis vt putabat, vltimum certamen cerneret; ibi vates disertissimus, qui iam sæpe Hymen Hymenae apud collegas suos legerat, aut ipse scripserat, oblitus oris purpurei, cuius laudes decantauerat, oblitus genarum, quas cum niuibus ac minio toties contulerat; ceterorum omnium oblitus, quæ referre mora est, & adhuc in eius carmine leguntur :: nihil quidem se indignum fecit, sed dormire cœpit, totamque quanta fuit noctem bene ac pudice, nemini molestus aut grauis, transegit. Mane autem, aut, quia de Poeta loquimur, vbi

Purpureis formosa genis Aurora ruberet,

Quum nullius sibi facinoris conscius esset & inertia puderet, audisse se aiebat, cum dolore calculi solere eam conflictari, eique omnes agitationes corporis inprimis esse aduersas. Id ex doctissimo viro Hippocrate Coo se habere. Ea re commotum, aduersus animi lubidinem illa se abstinuisse, quippe qui illius valetudi-

ni consultum vellet. Atque ita vir summus, neque tamen maximus Astreæ Sacerdos, duo præcipua Iuris præcepta vna nocte expresserat. Nam & Vixerat honeste, & Neminem læserat. Suum *autem an* cuique reddidisset, *quati poterat. Mutius, vt reor, & Trebatius negassent. Idem autem & vxori eius videbatur. Qua pertæsa tandem huius consuetudinis, domi eruditas, alibi festiuas noctes agitabat, &c.*

Quid quæso, in tota tam lepida Narratione esse dicas, quod non Stultitiæ adscribendum sit? Macte virtute tua, ô Heroina, qua imperium tuum nō solum per omnes hominum ætates, sexus, conditiones, didis; verum etiam nupturientibus facem ac tædas præluces. Iam quid de ijs feminis dicam, quæ supra quam sexum deceat, eruditæ & sunt, & haberi volunt: quales olim fuerunt Sappho, Phryne, Gnathęna, Glycere, multæque aliæ; quarum venustates, argutias & dicteria *Feminæ eruditæ.*
fere

fere integro libro recenſet Athenæus. Etſi vero hæc ingenij ſolertia & doctrinæ facultas quanto rarior eſt in ſequiori illo ſexu, tanto maiores ad amandum illecebras habere videtur; mihi tamen placet illud Italorum prouerbium:

Dio mi guardi da Donna che ſappia il latino:
Et da mula che faccia gnen, gnino:

Quis enim neſcit omnes illas ſupra dictas non minus ad libidinem quã litterarum ſtudia ingenioſas fuiſſe, adeoque corpore quæſtum feciſſe? neque tamen non amandum puto in lepida puella lepidum ingenium ac doctrina expolitum; ſed talium pudicitiam in maiori verſari periculo puto, quod plures eis ſeſe applicent ac blandiantur, non vt vere ament, ſed vt ſeſe oblectent. Quocirca Fuluiæ Olympiæ Moratæ, Italæ feminæ, varia doctrina (vt ſcripta eius teſtantur) cultiſsimæ exemplum tanto mirabilius mihi videtur

tur, quod vtrum castior an doctior fuerit in ambiguo reliquerit. Sed bene habet, quod nostri temporis puellæ non in animo scientia aut doctrina expoliendo, sed in corpore ornando omne suum ingenium consumunt. Quæ vbi in thalamum deductæ fuerint, Deus bone, quantam calamitatem marito secum important! Præsertim si aliquanto amplius dotatæ sint! Equidem merito dubitari posse arbitror vxor dotata an indotata potius ducenda sit. Scio quidem vulgo Stultitiæ condemnari qui luculentam cum vxore dotem non vnice spectent ac sectentur. At longe aliter apud Comicum sentit Megadorus, sic ratiocinans: *Vxores dotatæ.*

Meo quidem animo si idem faciant Ceteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant vxores domum,
Et multo fiat ciuitas concordior,
Et inuidia nos minore vtamur quam vtimur,
Et illæ malam rem metuant quam metuunt, magis,
Et

Digitized by Google

Et nos minore sumptu simus quam sumus.
In maximam illuc populi partem est optimum:
In pauciores auidos altercatio est.
Quorum animus auidis atque in satietatibus
Neque lex neque tutor capere est qui possit modum.
Namque hoc qui dicat: Quo illæ nubent diuites
Dotatæ, si istud ius pauperibus ponitur?
Quo lubeat, nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc ita si fiat, mores meliores sibi
Parent pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sient viliores Gallicis canterijs.
Nulla ergo dicat: equidem dotem ad te attuli
Maiorem multo, quam tibi erat pecunia.
Enim mihi æquum est purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedisequas,
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.
Nunc quoquò venias, plus plaustrorum in ædibus

Videas quam ruri quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum est præ quam vbi sumptus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones, patagiarij, indusiarij,
Flammearij, violarij, calthuarij,
Aut manulearij, aut myro bathrarij,
Propolæ, linteones, calceolarij,
Sedentarij, sutores, diabhatrarij,
Solearij astant, astant molochinarij,
Petunt fullones, sarcinatores petunt.
Strophiarij astant, astant semi zonarij.
Iam hosce absolutos censeas, cedunt, petunt,
Trecenti cum stant, phylacista in atrijs,
Textores, limbolarij, arcularij: datur
Aes. iamque hosce absolutos censeas,
Quum incedunt infectores crocotarij,
Aut aliqua mala crux semper est quæ aliquid petat.
Vbi nugigerulis res soluta est omnibus,
Ibi ad postremum accedit miles, æs petit,
Itur, putatur ratio cum argentenario,
Impransus miles astat, æs censet dari.
Vbi disputata est ratio cum argentario,
Etiam ipsius vltro debet argentario.

Spes

Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæc ſunt, atque alia multa in magnis dotibus
Incommoditates ſumtuſq; intolerabiles.
Nam quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri.
Dotatæ mactant & malo & dãno viros.

Vbi iam illi, qui ſummam felicitatis in eo ponunt, vt luculenter dotatæ vxoris mariti fiant; vel vt verius dicam, vxori ob dotem nubant? Iam ad formam quod attinet, non minus latè dominatur hic ſtultitiæ. Qui enim deformem duxerit; pœnam ſeu faſtidium perpetuum ſibi ipſe creat; qui formoſam, moleſtiſsimæ ſollicitudinis copiam ſibi ipſe comparat. Neque tamen quemquam tam in venuſtum eſſe puto, quin, ſaluo pudicitiæ theſauro, hanc quam illam malit. Sed vereor ne aliquis illud occinat:

Forma lenociniis adnuptias ſtultè vtimur.

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Et profectò quæ tam bona ac lepida forma eſt, vt quum prodit, alio-

rum in se oculos conuertat, non inanes suspicionis ac metus caussas secum circumfert. Et tamen quis nescit plerasque nuptias solius formæ aliqua morum elegantia commendatæ, lenocinio conciliari? Stultos hos, inquis: ego multo stultiores illos, qui vestium ornatu excæcati, ad nuptias conuolant. Quasi nõ farctum vestis, sed vestis amanda sit. & equum emturus, non animal, sed phaleras inspiciat. Apage tales feminas, quæ interdiu fundis exornatæ incedunt; sub noctem vero vnà cum veste omnem, qua ante sibi potius quam alijs mirifice placebant, elegantiam deponunt.

Stultius, vestium.

Quid de aulicarum Mulierum ingenijs ac moribus dicemus? Hecubam ego aliquam timeo, ne dentes suos , vel potius bisulcam linguam in me exserat: eoque alienum tergum succidaneum do , & quidem eius hominis, qui summa, ima, æq; libere carpere nõ veretur.

Aulicarum mulierum mores:

Au-

„ Audite quid dicat. Habent & auli-
„ cæ mulieres ſua vitia. Omnino e-
„ nim non paucas videmus corporis
„ dotibus & formæ elegantia ſpectã-
„ das, ſcitulas, nitidas & venuſtas, in-
„ ſuper veſtimentis purpureis, & au-
„ reis & gemmatis monilibus exor-
„ natas. Sed non omnibus eſt cernere
„ quam turpiſsima monſtra ſub for-
„ moſis illis pellibus ſæpe latitent.
„ Hinc aptiſsimè Lucianus illas Ae-
„ gyptiis templis comparat. Apud e-
„ os enim ipſum delubrum foris
„ pulcerrimum eſt, ſimulque am-
„ plum, ſumtuoſis lapidibus exſtru-
„ ctum & compoſitum: cæterùm ſi
„ intus Numen ſeu deum requiſiue-
„ ris, aut ciconiam inuenies, aut ſimi-
„ am, aut vitulum, aut hircum, aut
„ felem. Ita eſt de aulicis illis puellis
„ & mulieribus, quæ à prima ætate,
„ à teneris annis in molli otio, ſalta-
„ tionibus & omni luxu enutritæ,
„ peſsimiſque diſciplinis, ex aulicis
„ illis morum libris prauiſsimiſque
luxus,

luxus, libidinum, adulteriorum, „
fornicationum, lenociniorum Hi- „
ſtorijs, Comędijs Nouellis, Facetijs, „
Cantilenis imbutæ, velut ex nutri- „
ce perniciosiſsimos humores ſuxe- „
runt, leuitatem, inſolentiam, arro- „
gantiam, moroſitatem, impudenti- „
am, obſcenitatem, contentionem, „
contradictionem, pertinaciam, vl- „
tionem, aſtum, vafritiem, petulanti- „
am, loquacitatem, procacitatem & „
turpem concupiſcentiam. Habent „
linguas, quibus ſilentium pœna eſt; „
habent labia ad omnem loquacita- „
temarmata, è quibus ſermones pro- „
munt ineptiſsimos odioſiſsimoſq;, „
& non raro ijs qui audire coguntur „
moleſtos. Quid enim illas inter ſe „
tam multis horis loqui putabimus, „
niſi ſtulta & vana? puta, quomodo „
componenda coma, quomodo pe- „
ctenda, quomodo tingendi capilli, „
quomodo fricanda facies, qualiter „
complicanda veſtis, qua pompa in- „
cedendum, aſſurgendum, decum- „
 bendum;

„ bendnm; quibus quo vesti tu fas sit
„ incedere: quæ quibus loco cedere
„ debeant, quot inclinationibus sa-
„ lutare, quæ aut ad quorum oscula
„ venire fas aut nefas sit; quæ equo,
„ quæ curru, quæ lectica vehi debeãt,
„ quæ aurum quæ gemmas, quæ tor-
„ ques, quæ inaures, quæ armillas,
„ quæ annulos, quæ monilia gestare
„ debeant, ceteraque muliebrium le-
„ gum nugamenta. Nec desunt seue-
„ riores matronæ, quæ narrent à quot
„ olim procis adamatæ, quibus donis
„ & muneribus cultæ, quibus blandi-
„ tijs exambitæ sint. Vna de eo lo-
„ quitur quem amat; altera ægrè silet
„ de eo, quem odit; & quæuis putat
„ pronis auribus & cum admiratione
„ dicta sua excipi. Nonnunquam o-
„ rationi intempestiua dicteria, aut
„ impudentissima mẽdacia miscent.
„ Nec desunt interim inter illas acer-
„ bissima odia, iurgia, obtrectationes
„ calumniæ, sycophantię, & quęcum-
„ que sunt malæ linguæ ac malæ men-
tis

tis vitia, habent oculos, habēt vul- ,,
tus, habent risus plenos illecebris, ,,
habent gestus fluentes lasciuia, ha- ,,
bent astus, habent verba, quibus ,,
decipiendos procos sollicitant, & ,,
munera extorquent. Si his annulus ,,
sit, si gemma, si monile, si catenula, ,,
quidquid est aut blanditijs subtra- ,,
hunt, aut extorquent precibus, red- ,,
duntque pro illis basia, suauia, o- ,,
scula, amplexus, contactus, confabu- ,,
lationes, quæ illis publica merx & ,,
aulici amoris alimenta sunt. Pudet ,,
referre quæ intra cubile probra sæ- ,,
pe fiant: pleræque tamen quum ve- ,,
stem induerunt, omnia se coutexisse, ,,
& occuluisse putant. Tales ergo qua ,,
fide & integritate postea erga mari- ,,
tos existimabimus futuras vxores? ,,
O quāto dolore afficiūt cōiuges, dū ,,
genus, dū dotē, dūm formā, dū ali- ,,
ena matrimonia cōtinuò illis obij- ,,
ciūt, viros cōtumelijs ac iurgijs ob- ,,
tundūnt, & conqueruntur semper, ,,
dum domesticā & frugalem men- ,,

„ſam ſpernant, dum pompæ ac deli-
„ cijs aſſuetæ, ornamentorum alioque
„ luxu patrimonia ac dotem exhauri-
„ unt, opes labefactant, & ſępe ad ma-
„ los & turpes quæſtus miſeros mari-
„ tos impellunt; quibus dies noctes-
„ que inſidiantur mille fraudibus,
„ hypocriſi, ſimulatione, proditione.
„ Taceo externos amores, occulta ad-
„ ulteria, ſuppoſititios & alieno ſemi-
„ ne conceptos partus. Quod ſi ſemel
„ odio aut zelotypia exardeſcant, ve-
„ nena parant, aut continuis iurgijs &
„ moleſtijs virum enecare ſtudent.
„ Familiares enim (vt ait B. Hierony-
„ mus contra Iouinianum) malarum
„ feminarum artes ſunt doli, frau-
„ des, veneficia, mala medicamenta,
„ & magicæ vanitates. Sic Liuia virum
„ ſuum interfecit, quem oderat; Luci-
„ lia ſuum peremit. Illa ex zelotypia
„ miſcuit aconitum; hæc improba fu-
„ rorem pro amoris poculo propina-
„ uit. Adeo tutius eſt (quod ait Eccle-
„ ſiaſticus) cohabitare leoni & draco-
ni

ni,quam mulieri nequam.Hæc ille. Sed iam ad alia Stultitiæ genera (non omnia:infinitum enim hoc ſit) progredior,quæ in hoc ſexu reperiuntur: inter quæ non minimum eſt ſaltandi ſeu choreas ducendi ſtudium,quo pleræq; mulieres ac puellæ nimiopere delectantur: quas ſi Theocritus videat,eas procul dubio eodem quo capellas ſuas verſu inclamaturus ſit: *Saltandi ſtudium.*

At vos laſciuæ ne,ne ſaltate capellæ.
En malus hircus adeſt,in vos ſaltare paratus.

Nec fruſtra Aſterien ſuam monet Horatius:

Prima nocte domum claude, nec in (vias
Sub cantu querulæ deſpice tibiæ:
Et te ſæpe vocanti
Duram,difficilis mane.

Teſtatur enim experientia, motus eiuſmodi ac geſtus impudicos qui in pleriſq; ſaltationum generibus, maxime exoticis adhibentur, libidini non parum ancillari.Quam-

quam & per se stultum sit saltandi hoc studium. Age enim, finge te aliquot hominum paria, nunc subsilientium, nunc terram plaudentium, nunc in gyros se agentium, nunc lūbos quatientiū, alijsq; miris modis gesticulantium, ita eminus videre, vt tibiæ sonum non audias: quid aliud quam Faunos & Satyros, immò ipsissimas Bacchas esse putabis? Alphonsus Aragoniȩ rex, quū videret puellā motibus ac gestib. parū decoris tripudiantē, suis adstātib. paulisper, inquit, exspectemus: mox Sibylla reddet oracula: furibundam indicare volens. Quæ vero quantaque mala insanum hoc nec minus profanum saltandi studium adferat, alij fuse explicant; sed in primis facundus ille Gueuara in Epistola quadam, vt & complures Theologi. Apud Romanos quidem tantum non infame erat hoc exercitium. Hinc illa: *Neminem saltare sobrium*, Et de homine plane perfrictæ fron-

tis

tis, *Illum vel in medio foro saltare posse.*

Sunt aliæ viragines potius quam virgines, quæ muliebrib. exercitijs non contentæ, virilia arripiunt: vt etiam equos agitent, nec venentur tantum, & iaculentur, verum etiam flumina traijciant, atq; adeo virilem sexum vestitu mentientes, arma induāt, in media acie versentur, hostemq; feriant, ac pulcram etiā oppetant per vulnera mortem. Amazonas, (fabulosas an veras?) omitto: quis nescit Ditmarsorum feminas bello illo quo libertatem amiserunt, non minus quam viros strenue pugnasse? De quibus nos in primo nostro, eoq; immaturo fetu:

Viragines virilium studiorū æmulatrices.

Mira canam; sed vera canam. Visa inter aceruos
Cæsorum, sexus muliebris corpora, duro
Ense accincta latus, rigidáq; induta loricā.
I nunc, femineumq; imbellem credere sexum
Aude, & Amazonias mirare in prœlia vires.

Sed ô ſtultę? Quid naturę vim facitis? Numquid ea ſexum veſtrum à noſtro diſcreuit? Aſpicite ipsū corpus veſtrum: quantam in eo diuerſitatem deprehendetis? Viris quidem cum ætate venuſtas decedit; at robur accedit. Vos vero eandem glabriciem, eādem mollitiem retinetis: Quin & fugientem formam ceruſſa alijſq; varijs artibus reuocatis. In quo vix vlla puellarum miniſteria vobis ſufficiunt, omnium apothecarum pyxides in auxilium vocando. Sic tandem ad ſpeculum comtæ, ornatæ, ceruſſatæ, & ſi quæ breuioris ſtaturæ ſunt, altiſsimis cothurnis quaſi grallis incedētes in publicum proditis. Verumenimuero ex vobis maximè illæ mihi feſtiuę videntur, quæ formæ, ſeu bonæ ſeu malæ ſibi conſciæ, prælargis collaribus (rotas curruum potius dixeris) eam abſcondere nituntur, ita vt non niſi quaſi remoto ſipario, eam inſpicere liceat; honeſtatisne ſtudio an pudore

Mulierū in forma fucanda ſtudium.

Hodiernus feminarum habitus.

Diſpi-

Diſpiciāt qui volunt. Equidem nuper talem aſpiciens, exiguum braſſicæ caput, latiſsimis folijs vndique circumſeptum mihi videre viſus ſum. Quid ego de vallo illo femoribus circumiecto dicam? quod quum veſtem (vt ille ait) ſupra aluum ad poſteriora pariter extendit, ſi quid latet illic facile diſsimulat, & virginitati lepide patrocinatur. In quo tamen hoc incommodi eſt, vt oſtia ac ianuas, per quas ingreſſuræ illæ ſunt, ex ędilitio edicto, poſt hac ampliores ac patētiores fieri oporteat. Quid alias eorum ineptias commemorē, quibus vel Catoni aut Craſſo alicui riſū mouere poſsēt? Atqui totum hoc quod à femina gratum nobis & amabile proficiſcitur, Stultitię debetur: quæ tamen ipſam quoque Sapientiam in triumphū ſępe duxit, & adhuc ducit. Vide mihi illū poſt homines natos ſapientiſsimum, Salomonem inquam (primum noſtri generis parentem ſilentio pretereo) quam

Mulier omnium ſeductrices.

quam turpiter à ſtultis mulierculis ſeduci ſe paſſus eſt? O ineuitabile quaſi Stultitiæ imperiũ! Monuerat ille alios ſcribens: Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes; ab earumque inſidijs cauendũ paſsim inculcat;nec tamen ipſus cauet. Nõ ergo mulieres, ſed ſtultitia ipsũ decepit. Nũquid Hercules tantis monſtris domitis ad imperium feminæ inter puellas colum & lanam tractauit? Numquid inuictus alijs Samſon à putida meretricula tonderi ſe paſſus eſt: ſicq; omnes ſuas vires ad arã Stultitiæ cõſecrauit? ſexcenta alia eius generis omitto. Caue vero putes me in hũc quoq; cẽſum illas referre velle, quæ philtris alijſq; artibus in miſeros viros graſſantur; multo vero minus illas, quę inito cum malignis ſpiritibus pacto, ad horrenda facinora abutendas ſe prębent. Neque enim iſtis artibus quade nos agimus gaudet Stultitia; ſed vt fidelis eſt humani generis aſſecla, ita nihil humani à

Apage Veneficas.

ni à

ni à se alienum putat, diabolicas artes detestatur. Nunc vim eius in cōciliandis amicitijs videamus.

CAPVT XI.

Stultitia Amicitiæ est Conciliatrix.

NOn mirabilis modo, sed & miraculosa est rebus creatis à solertissima Magistra Natura indita varietas, qua non tantum aliæ ab alijs, sed eiusdem generis à seipsis differunt; vt videre est in hominum vultibus, quorũ è multis millibus vix vnum reperias; qui alteri per omnia sit similis. Non minorem diuersitatem animis eadem Natura tribuit; vt verissimũ sit quod vulgo dicitur: *Quot capita, tot sensus*. Quod si idem sentire ac velle, vt Cicero autumat, ea demum firma est amicitia; vbi quæso, tandem eam reperiemus? Sed bene habet. En tibi illam ipsam rerum humanarum, pænè dixerim, dominam, partes in hoc quoq; ipso suas interponētem; dum

Rerum varietas.

Maxime ingeniorum.

Inter quæ tamen amicitia. oculis glaucoma obijcit, ceterosque sensus ita disponit, vt non nostros modo, verum etiam eorum, in quos pronus amor noster fertur, defectus ac vitia non videamus, immo pro virtutibus reputemus. Deforme sane animal est simia, catulos tamen suos pro omniū pulcerrimis habet, adeò vt nimis arcte brachijs stringendo atq; amplectendo, sæpe eos enecet. Idem nostris matribus, idem plerisq; omnibus hominibus est vitium. Inde fit, vt quos amamus, peccare nequeant. Auaro quis se applicuit? sobrium & parcum ait. Prodigo? à liberlaitate eū commendat. Fatuus & insulsus ab innoxia simplicitate excusatur. Iracūdus & temerarius pro homine acri ac forti habetur. Timidus, cautus ac prudens audit. Nullū deniq, vitiū est, quod Stultitia velū subministrante, virtutis speciem nō induat. O salutare vel in hoc vno tuum, Moria, auxilium! Si enim, vt Cicero ait, solē è mūdo tollere vidētur, qui amicitiā tollunt; quis nō vi-

det qui te velut proxemnetam excludere velit, saluberrimo humanam vitam remedio, cõdimẽto dulcissimo, firmissimoq; præsidio orbare? Recte ergo quiuis illius admonetur:

Vt vitia amici nouerit, non oderit.

Atq; hæc ipsa caussa est, cur Amor cæcus fingatur: siquidem deformia tamquam pulcerrima; pulcra vt deformia repræsentat; prout scilicet cuiusq; sensus à Stultitia diriguntur ac ducuntur. *Amore cæco ducta.*

CAPVT XII.

Stultitiæ quanta vis & vtilitas sit in matrimoniis.

OMnium amicitiarum ea est arctissima quę est inter maritum & vxorẽ: de qua multi multa scripserunt. Quod si vlla, certe hæc vnice humano generi est necessaria, vt sine qua illud non diu subsistere possit. Et tamen hanc ipsam plerumq; Stultitia conciliante contrahi, supra ostendimus, adeo vt merito dubitari *Vxor an & qualis ducenda.*

possit

posſit, præſtetne vxorem an vitam cælibem ducere. Si ais; quæro:

Ergo mihi vxorem qualem ducam? anne puellam?
Hæc forſan veniet non ſatis apta mihi:
An viduam? dominam quis poſſet ferre tonantem?
An vetulam? toleret quis patienter anum?
Fecundam? fecunda domum mihi prole grauabit.
An ſterilē? ſterilis nō decus arbor habet.
An ditē? nihil eſt magis intolerabile dite.
Aſt inopē? quid opis ferre valebit inops?
Pauciloquam? non me poterit recreare loquendo.
Verboſam? mulier res oneroſa loquax.
Formoſam? varijs eſt ſubdita forma periclis.
Deformem? pœnā ducere nūquid amē.
Non igitur ducenda vxor; quia fenore tuto
Apparent ſocij damna timenda thori.

Eodem pertinet vulgatus ille verſus

Qui

cupit rem, tem rem
Qui vxo li cupit atq; dolo-
fugit rem, tem fugit rem.

Verum enimuero illud potissimum controuerti video, An viro litterato (id est, sapienti) vxor ducenda sit. De quo ex suprà à me citata elgantissima Heinsij Epistola ad eam rem nonnulla exscribo. Sic igitur ille ad amicum: *An viro Litterato.*

Primum quod attinet (vtrum „ scilicet viro litterato vxor ducen- „ da sit) miratus sum, tamqum con- „ trouersum id à te proponi de quo „ ipsa iudcat Natura, quæ à communi „ hominum conditione litteratos „ non excepit, neque sexu quodam „ tertio distinxit. Quod & antiquis- „ simorum exempla probant Sapien- „ tum: quorum nemo, ne in seueris- „ sima quidem maximèque austera „ Stoicorum fuit familia, qui non „ barbam quoque & supercilium v- „ xorijs amplexibus summiserit, aut „ in ista parte à reliquis dissenserit. „

Non

tioni debemus, legitime accedat. Ad- »
de his infinita alia, quæ præ reliquis »
inuitare ad hanc viuendi rationem »
litteratum hominem debebant. In- »
ter quæ vel primo loco illud pone, »
quod plerumque rebus ipsi suis & »
domesticis negocijs, dum alibi in- »
tentum habent animum, præesse »
non possunt. Qui quo est nobilior, »
eo, quum in se est reflexus & à curis »
istis sine quibus se tueri paterfami- »
lias non potest, longius remotus, eo »
contemplatur acrius. Quod Demo- »
crito & Anaxagoræ euenit, quorum »
à corpore & humanis cogitationibus »
diuulsus quasi & auersus peregre dũ »
esset animus, culta & agellos, vt anti- »
qui docent, pecudes depascebantur. »
Quare in partem domus vxorcula, »
non illepida, non invenusta, nec »
lasciua tamẽ veniat: quę postquã in- »
terdiu curas istas minimas, sed tamẽ »
necessarias, in se suscepit, noctu ma- »
tronali verecũdia, quã mariti amor, »
non libido sua aut procacitas remit- »
tit,

„ tit,maiores quoq; abstergat,&com-
„ plexibus suauissimis morosam illã
„ contemplandi voluptatem diluat:
„ non vt corpus, quod est belluarum,
„ defatiget; sed vt maius desiderium
„ in animo accendat,menti autem in-
„ strumenta sua integra relinquat,
„ quæ in corpore non vegeto, non
„ sano, aut si nimia id libido af-
„ flixerit,opus suum,vt oportet,exer-
„ cere non est vt possit. Iam quid sua-
„ uius, domum è publico aut à libris
„ venientibus, quam vxorculæ con-
„ spectus, occursus liberorum? qui
„ vt ex animi sententia instituantur,
„ mature de conditione aliqua est co-
„ gitandum;tum vero,quia ætas nulla
„ satis tuta est ab eo quod in prima
„ tantum tempestiue fieri putatur.
„ Turpe enim est senilis amor,vt Poe-
„ ta canit. Quod si vrges amplius &
„ exemplũ mihi non alterius,sed meũ
„ opponis;neq; consilium modo à no-
„ bis petis,sed & institutum nostrum
„ serio miraris;pro me pauca loquar,
&in

& in ſinum tuum hunc animum ef- „ fundam. Ego hactenus libero lectu- „ lo nihil beatius, nihil ad deorum vi- „ tam propius accedere putaui; in quo „ inter ſomnum & cogitationem tota „ nox diuiditur, neq; ad arbitrium cu- „ iuſquam aut dormiendum eſt, aut „ vigilãdum. Ex quo ipſo, quũ vide- „ tur, ne libellos quidẽ meos, intimę „ admiſsionis amicos, excludendos „ habeo. Quod in matrimonio vnus „ omnium optime vitare queam, & „ vitandum eſſe inprimis cenſeo. Nul- „ lus enim Ariſtoteli eſt locus aut Pla- „ toni vbi ſtola regnum poſſidet: neq; „ quidquam magis diluit amorem „ quam auſteræ maritorum noctes & „ Muſarum peruigilia. Ipſum quoque „ Homerum cum corona & vnguen- „ tis, non è ciuitate quod volebat ille, „ ſed è lecto relegandum puto. Et „ profecto, quũ Deus immortalis in- „ firmiori illi ſexui durisſima omnia „ propoſuerit, adeo vt hanc ipſam, ſi „ quam è mariti complexu, re tam ca- „

ſta

" ſta, tam honeſta, voluptatem petit,
" grauiſsimis redimere doloribus ā-
" quam debito Naturæ ſit obſtricta:
" quid tam ęquum eſt, quam in comi-
" tate viri ac lubentia aliquantulum
" ſolatij inuenire mulierculam ani-
" mal vt imbecille ac blandum, ita, ni-
" ſi quatenus mariti amor intercedit,
" prope ad calamitatem natum: quū
" præſertim huic rei ignauiſsima pars
" vitæ noſtræ, nox ſit deſtinata. Ne
" cuiquam ſcilicet diſcedat, quod vx-
" orculæ impenditur. Quare apage i-
" ſtos qui ad lectum tamquam ad tri-
" bunal accedunt, & eodem vultu
" coniugi ſe ſiſtūt quo ſententias pro-
" nunciant. Adde eos, qui moroſe ni-
" mium ac pertinaciter Muſis addicti
" in ſuauiſsimo illo omniumq; parti-
" cipe corpuſculo moles librorū de-
" ponunt. Vere vmbratica ingenia,
" quibus nimia in litteris opera vſum
" pariter viuendi ac fructum ademit.
" Iam nonnulli ſunt, qui ſatis eſſe exi-
" ſtimant ſi virum egerint; quum plus
ſit,

ſit,maritum agere. Quod in reliqua „
non tantum vita ,ſed in iſta quoque „
parte latius diffunditur. Itaque vbi „
tamquam tributum , ius vxori præ- „
ſtiterunt,iterum de libris cogitant. „
Quum benignitate potius totius vi- „
tæ , quam præſcripta ad arbitrium „
Naturæ voluptate matrimonium a- „
latur:quæ in belluis coacta,in homi- „
nibus à Ratione,quaſi condimenta „
quędam,delicatas accipit blãditias, „
à quibus ipſa ſuperatur. Mea autem „
alia eſt ratio,cui ne ibi quidem non „
ocioſo eſſe licet, vbi neminē hacte- „
nus præter ſapientiam amplexus sũ. „
In lecto videlicet:vbi de diuinis ac „
humanis rebus mecum cogito , vbi „
tamquam in ſpecula poſitus , fori „
ambitionem , aulæ vanitatem „
neque valde litteratus neque tri- „
ſtis homuncio ridere metum ſo- „
leo,& iudicium de nobis noſtriſque „
innocentiſsima ingenij hilaritate „
vlciſcor. Interdum,ne quid mentiar „
ex animo & bona fide dormio. Vi- „
deo,

„ deo enim viros eruditos & qui ni-
„ mium ſe macerant, raro diurnare.
„ Quare do operã in primis, ſuauiter
„ vt viuam; vnice ſecurus ne aut cauſ-
„ ſa excidam in foro, aut in ambitu
„ repellar, aut in mari Indico bonis e-
„ luam, aut dum male neſcio quis
„ rem pro me gerit, abſens conturbẽ.
„ Multo minus ne de dote filię, patri-
„ monio filij quotquot annis aliquid
„ diſcedat. Quos mortales ego qui aut
„ quales ſint futuri non noui, neque
„ ſcire adeo admodũ exopto. Huius
„ felicitatis meę ne fortaſſe aliquando
„ obliuiſcar, aut nõ ſatis talis mihi vi-
„ dear (vt cõditionis noſtræ noſmet-
„ ipſos pœnitet) in proximum oppidũ
„ me ſubinde confero, vbi vultus in-
„ intueor eorũ, qui aut calide ambi-
„ unt, aut ſolicite litigant, aut miſere
„ excidunt: quorum numerum non-
„ numquam ſubduco; & quemadmo-
„ dũ Romani Cõſulib. ita annos ſin-
„ gulos calamitate ambitionis noto.
„ Neq; raro epigrammate omnia iſta
rideo,

rideo,quæ prudentiores, vt putan- ,,
tur, quā ſum ego, ſola admirantur. ,,
Iam ſi quando ſtudiorum, hoc eſt, ,,
quotidianæ lectionis, tædium me ,,
percipit, corpus ſuauiter exerceo. ,,
Eſt in iſta vrbe equus, notæ lenita- ,,
tis animal,tanto robore animi, vt ,,
calcaria & ſtimulos pluſquam Stoi- ,,
ca conſtantia contemnat;tam exacta ,,
autem macie & exquiſita, vt pro- ,,
pemodum; quod Maro tantopere ,,
commendat in equo, ſtare loco ne- ,,
ſciat. Hunc vbi aliquantulum deſa- ,,
gitaui,ſine vllius Principis benigni- ,,
tate,eques domum redeo, aliquan- ,,
to mihi crede,alacrior,quam ſi ab ,,
vxoris complexibus redirem. Rem- ,,
publicam autem & quęcunque eue- ,,
niūt in ea,eminus ſpecto,vt & ſacrū ,,
hoc bellū,quod tot annos ſtili mu- ,,
crone geritur, veræ tantum pietatis ,,
ſtudioſus,quā ex ſacris libris & The- ,,
ologis antiquis, quos nō parum re- ,,
uerenter tracto, hauriendam exiſti- ,,
mo. Cetera autem doctioribus re- ,,
linquo

Digitized by Google

,, linquo. Inter quos nōnulli ſunt, qui
,, arcana Dei ignorare nolunt. Quaſi
,, parum ſit, dare operam vt ſaluus fias
,, quamquam iſta neſcias quæ Deus
,, voluit neſciri. Mihi vero ſufficit
,, quod illi ſatis eſt. Diſputādo autē nec
,, fortaſſe illi placeas, & quā plurimos
,, neceſſe eſt offēdas. Huc accedit, quod
,, non alia ratione veritas magis invol-
,, uitur quam quo plerique eam quæ-
,, runt. Hæc cogitanti (& nonnunquā
,, puer ex Bernardo aut Hieronymo,
,, aut Auguſtino ceteriſq; viris ſanctis
,, legit aliquid) ſomnus placide obre-
,, pit, nihil minus quā ſolicito ne poſt-
,, ridie ſurgendum ſit mane, &c. Pub-
,, licę profeſsionis moleſtia defunctus
,, domum redeo, & in omne ſtudiorū
,, genus animum diffundo, quibus à
,, contemtu olim facile, vt ſpero, vin-
,, dicabimur. Plerumq; autem in pub-
,, licam Bibliothecam me confero, cu-
,, ius regni imperium beneficio eorū,
,, quibus cura ſtudiorum in hac vrbe
,, incumbit, nobis contigit in quam ſi

mul-

mulac pedẽ posui, foribus pariter ac vulgo pessulũ obdo; ambitionẽ autẽ, amorẽ, libidinẽ, aliaq; id genus, quorũ parens est ignauia, imperitia nutrix, excludo, & in ipso æternitatis gremio, inter tot illustres animas sedẽ mihi sumo; tã ingẽti quidẽ animo, vt subinde magnatum me misereat, qui felicitatem hanc ignorant. Huius vitæ suauitate mirum hactenus in modum oblectatus, fortasse quæris quare vxorem domum non deduxerim. Ita felix mihi hoc quod ago sit & faustum, vt propemodum oblitus fui. Ea est vis nostrarum meditationum & illecebra. Porrò vt nemini sũ author, qui sic potest viuere, vt vxorem ducat; ita ei qui vxorem duxit non sum author, vt sic viuat. Alia enim viri felicis, alia prudentis mariti est ratio. tum feminæ ambitiosæ sunt, liberi autem multis egent. Hæc ille.

Quod si ex his comparationem

instituere velis inter coniugatam & celibem vitam; facilè profectò, quantò hæc illa commodior sit, ac felicior, deprehendes. Quis verò non animaduertit, ad celibem vitam, sapientiam; ad coniugatam, stultitiam velut manuductricem esse? Quis enim sapiens libertatem rem omnium pretiosissimam, pro dote vendat? Faciunt hoc coniugati. Quis sanus vitam quietam cum perpetuis curis ac sollicitudinibus commutet? Commutant coniugati. Rectè enim nescio quis *celibum* quasi *cælitum* vitam dixit. Sed ô rem miram! Illa ipsa sapientissima Natura quum videret sine viri ac feminæ coniunctione se non diu posse subsistere, Stultitia quasi pronuba in conciliandis matrimonijs vti voluit: quæ omnium optimè eadem quoque fouet ac iucunda reddit. Non inscitè quidam dixit, tum benè conuenturum inter virum & vxorem, si maritus

surdus

ſurdus, vxor cæca ſit, id eſt, ſi alter alterius vitia ac Stultitiam vel non videat, vel patienter ferat. Quæ ſi quis ad Sapientiæ amuſsim velit exigere, Deus bone, quantæ turbæ, quantæ procellæ ac grandines, quàm multa diuortia paſsim exorientur? Sed ne id fiat, partes ſuas interponit Stultitia; & quibus artibus ante conciliauit, iiſdem reconciliat coniugalem amorem, reuocando in memoriam amabiles illos oculorum aſpectus, quibus amor primum incenſus eſt; tum dulces illas cogitationes animique ſimulacra, vel ſomnia potiùs, quibus animus immerſus, reliquis omnibus præterpropter habitis, hoc vnum vouit, hoc egit, vt amata potiretur; ipſos denique ſuauiſſimos amplexus, qui ſua ſatietate nouæ ſemper flammæ fomitem relinquunt. Illud verò multò magis mirum ac pænè incredibile, reperiri feminas, quæ maritorum a-

morem ex plagarum frequentia & numero æstiment: quale quid contigisse Germano cuidam, qui in Moscouia vxorem duxerat, fide digni auctores scribunt. Quis non videt regnare hic Stultitiam, & tamen hoc ipso vinculum illud quo nihil sanctius est, & primum nectere, & laxatum stringere, & ruptum colligare? Macta imperio tuo, magna Regina! quod tantò facilius ferimus, quantò tu lenius ac mitius per omne hominum genus, sexum, ætatem, diffundis.

CAPVT XII.

Stultitiam omni hominum ætati & ordini succurrere.

Rerum varietas. MIrabilis est quam in hac rerum vniuersitate cernimus harmonia ac concentus; sed nullibi quàm in Rerumpublicarum tam constitutione quàm administratione magis necessaria. At mihi crede, hæc aut nulla esset, aut facilè dissolueretur, nisi Stultitia suas hic quoque partes ageret: sine qua nec

Prin-

Princeps populi mores, nec populus Principis imperium ferre posſet. Nunc boni Principes ſuarum voluptatum obliti, publicę rei curis dies noctesq; occupantur; multis interim moleſtijs ac periculis defungentes. Sed hac de re alij fusè diſputârunt. Ad populum quod attinet, non iniuria miratur Xenophon, quum inter ratione carentia animalia generoſiſsimum quodque (*quuntur*, 1. Cyropæd.

Imperitet vulgo; quæ tota armenta ſe-

homines vt non modò non præſtantiori, ſed etiam deteriori, atq; adeò nonnunquam deterrimo obediant, induci poſſe. Quę quidem admiratio numquid tacitam habet Stultitiæ imputationem? Omitto iam quàm ridiculas, immò ſtultas rationes in Principibus & Rectoribus eligendis & olim gentes nonnullæ ſequutæ ſint, & etiamnum ſequantur. Cõſtat tamen ab eiuſmodi Reſpublicas meliùs

administrata, quam ab ijs qui à mera Sapientia quæruntur. Sed nec domesticum imperium, nisi Stultitia aliquatenus temperetur, sibi constabit. Hanc enim si minimè ferẽdam esse putauerint, quomodo, quæso, pater liberos, liberi patrem; quomodo præceptor discipulos, discipuli præceptorem; quomodo domini seruos, serui dominos ferre poterũt? Quin immò omnis ex hominum genere tolletur societas. Huius optima custos sapiens est Stultitia, & stulta Sapientia, quæ nihil ad viuum resecat, non nodum in scirpo quærit, non citò excandescit, non paratragœdiat, aut in simpulo fluctus excitat; sed etiam secus facta bonam in partem interpretatur, omniaque alijs faciliùs ignoscit quàm sibi. Vnde fit, vt eiusmodi hominum (quos omnium horarum rectè dixeris) societas & consuetudo ab omnibus expetatur; quum

quum è contra nimium sapientes ac tætrici plerisque odio sint, nec ad eos facile quisquam se applicet.

CAPVT XIII.

Stultitiam animum hominibus ad præclaros conatus addere.

MVltis in rebus iniusta potiùs nouerca quàm benigna mater Natura esse videtur; in eo maximè, quod hominis animo tam diuersos & inter se pugnantes indidit affectus, tum insatiabiles infudit appetitus ac desideria, ex quibus dici vix potest, quantæ ægritudines ac cruciatus proficiscantur. Inter id genus molestias illa vel maxima est, quod quanto propius quis non sibi tantùm, sed etiam alijs ad Sapientiam accedere videtur, tanto minùs seipso contentus est, & aliena magis quàm sua miratur. Scitè Sapiens: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & potus absconditus suauior.* Et alius.

Hominis animus varijs affectibus obnoxius.

Fertilior seges est alienis semper in hortis. Et alibi:

—*Aliena capella gerit distentius vber.* Et Bartholomæus Regius in Pluto sua:

Quæ enim apud vos, lĕgè meliora sunt.

Hinc, vt omnia, diuina lex non minùs sapienter quàm salubriter præcipit, vt cupiditates nostras ab alienis abstineamus. Quamuis enim, vt in prouerbio est, *Suum cuique pulchrum*; fit tamen nescio quomodo, vt quemadmodum res quædam certo speculorum generi applicatæ, multò maiores videntur quàm sunt; ita aliena bona magis in oculos nostros incurrant, quàm nostra. At quomodo alijs placere posit qui sibi ipse nō placet? quomodo ab alijs æstimabitur qui sibi ipsi nimis quàm vilis est? Quid verò laude vel immortalitate dignum vmquam conabitur, qui omnia alijs, nihil sibi tribuit? O maximum, vti nonnullis videris, bonum, Gloria, quam paucos haberes candidatos vel ambitores nisi

Stultia ad gloriā stimulus.

nisi eos Stultitia tibi adduceret! Hæc nimirum vbi persuasit, & nobis fibras neruosque esse, ad summa quæque etiam maiora nostris viribus capessenda instigat. Ecquam aliam manuductricem mihi ad Morosophiam hanc scribendam fuisse existimatis, nisi ipsam Stultitiam? Hoc scilicet illud est quod multos tenet,

Scribendi cacoethes & insanabile vulnus.

Quantò satius erat, domi delitescere, quam se nomenque suum doctorum iuxta ac indoctorum iudicio, aut potius ludibrio prostituere? Tantò magis quod pauci hodie sint Mæcenates, qui liberalitate sua ac munificentia studia hæc promotum eant, immo iam eò deuentum est, vt tubicini clangore aures implenti pro momentanea eaque non valde amœna voluptate maior exhibeatur liberalitas, quàm scriptori, obscurum

aliquod nomen æternæ memoriæ consecranti. Viles animæ, & indignæ quibus Plutus faueat! Hoc scilicet est, vitam silentio veluti pecora transire: quod Sallustius omnibus hominibus, summa ope vitandum monet. Non sic Themistocles; qui rogatus quodnam acroama omnium libentissime audiret, *Eius*, inquit, *à quo laudes suæ optimè deprædicarentur.* Sed enim nunquid hic ipse affectus stultitiæ aliquid sapit? Verum enim est, quod vulgo dici solet, vt tinnitu ollam, ita proprijs laudibus sapientiæ explorari soliditatem: ita vt fieri vix possit, quin ijs præsertim qui in os laudantur, stultum aliquod dictum aut factum excidat, vel ipse vultus ac gestus tale quid testentur. Et tamen nemo, opinor, negabit, sublata spe honoris ac gloriæ, vberrimam virtutis exercendæ segetem planè

Zenos: stultitia indicia elisit.

corru-

corruptum iri. Marius Plotium quemdam summopere amauit, ac liberalissime fouit, vt res ab ipso præclare gestas clarissimasque victorias celebraret. Ennius Scipioni Africano & charus fuit & persamiliaris; adeo vt viuum nõ modo secum circumduxerit, verum etiam mortuum secum vni & eidem tumulo inferri voluerit. Quanti Lucullus Archiam fecerit, Cicero in ea quam pro ipso habuit Oratione testatur. Quin etiam Sylla, homo ceteroqui ferus ac crudelis, Poetam vulgarem atque indoctum remuneratus est, ea lege ne quidquã porrò de se scriberet. Facetũ inprimis est, & Augusti facto simillimũ, quod de Leone X. Pontifice narratur. Ad eum venerat Poeta quidam, vel potius Versificator. Offert carmen. Pontifex ea facultate non minus promptus, par pari refert. Ibi miser velut hiantem lupum destitutum se videns, extem- *Exempla liberalitatis in doctos.*

pore in hos versus prorumpit:

Si tibi pro numeris numeros Fortuna dedisset,

Non esset capiti tanta corona tuo.

Tum Pôtifex hominis expromtum atque alacre ingenium admiratus, comiter exceptum & non paucis aureis donatum à se dimittit. Possem hic non vetera modo, sed recentia quoque exempla in medium adducere eorum, qui insigni liberalitate tam litteras quã litteratos & prosequuti sunt, & adhuc prosequuntur. Quamuis non negem non paucos quoque esse qui de his ipsis studijs sinistre iudicant, & cum Mida Fauni fistulam quam Apollinis citharam audire malunt: digni propterea, qui cum illo Arcadici pecoris gestent auriculas. Sed stultos hos, sapientes non minore contemnunt Stultitia, dum nulla re absterreri se patiuntur, quo minus in sterili plerumq; solo sementem faciant, & bo-

Quae tamen non valde hodie visitata.

& bobus nihil profecturis litus arent: lucrosiora interim studia negligentes. Stultitiæ dicam his forte quis impingere non verebitur: sed nę quisquis hoc fecerit, eodem, si non grauiori crimine sese condemnabit.

CAPVT XIV.

Stultitiam in bellis vim magnam habere.

HOc si credere nolis, paulisper mecum ad Bataui illius Chiliastæ hortos concede, & quæ ac qualis herba bellum sit, quosque fructus ferat, considera. Ac primum quam stultè plerumque suscipiatur. Quod si tamen quidquā est in rebus mortalium quod contanter & prudenter aggredi conueniat, immo quod oporteat modis omnibus fugere, auersari, deprecari, propellere; certè bellum est: quo non res alia vel magis impia, vel calamitosior, vel latius pernitiosa, vel hærens tenacius, vel *Bella stulte suscipiuntur.*

tætrior & in vniuerſum homine indignior, vt ne dicam Chriſtiano: At dictu mirum, quam hodie paſſim, quam temere, quam quauis de cauſa ſuſcipiatur, quam immaniter ac barbarice geratur non tantum ab ethnicis, verũ etiam Chriſtianis; nec profanis modo, verum etiam à ſacerdotibus & Epiſcopis; nec ſolum à iuuenibus & imperitis, verum etiam à ſenibus & toties expertis; nec à plebeijs tantum & vulgo natura mobili, ſed potiſsimum à Regibus & Principibus, quorum officium erat, temerarios ſtultæ multitudinis motus ſapientia rationeque componere ac ſedare. Neque deſunt Iuriſconſulti & Theologi, qui ad iſta tam nefaria faces admouent, & frigidam, quod aiunt, ſuffundunt. Quibus rebus fit, vt nunc Bellum adeo recepta res ſit, vt demirentur homines eſſe cui non placeat: adeo probata, vt impium, ac pene dixerim hæreti-

Quia licita & honesta putantur.

hæreticum sit improbare rem vnam omnium vt sceleratissimam, ita miserrimam quoque: At quanto iustius erat illud demirari, quis malus genius, quæ pestis, quæ intemperia, quæ furia primùm in hominis mentem immiserit rem vsque adeo belluinam, vt placidum illud animal quod natura paci beneuolentiæque genuit, quod vnum omnium saluti produxit tam ferina vesania, tam insanis tumultibus in mutuam rueret perniciem. Id quod magis etiam admirabitur quisquis animum à vulgò receptis opinionibus ad ipsam rerum vim ac naturam perspiciendam conuerterit, ac seorsim hinc hominis imaginem illinc Belli simulacrum vere philosophicis oculis aliquantisper contempletur.

Belli detestatio, ab hominis habitu & natura.

Primo igitur si quis habitum modò figuramque corporis humani consideret, annon protinus intellecturus est, Naturam, vel potius

tius Deum, animal hoc non bello sed amicitiæ, non exitio sed saluti, non iniuriæ sed beneficentiæ genuisse: Nam ceterorum animantium vnumquodque suis instruxit armis. Taurorum impetum armauit cornibus, leonum rabiem vnguibus, apris fulmineos infixit dentes, Elephantis cutem & molem promuscide quoque armauit. Crocodilum crustis, velut laminis communiuit. Delphinis teli vice primas addidit. Histricē spinis, Raiam aculeis defendit, Gallis calcar affixit. Alia testis, alia corio, alia cortice texit. Sunt quorum incolumitati pernicitate prospexit, velut columbis. Sunt rursus quibus venenum vice teli tribuit. Addidit his speciem tætram ac belluinam, addidit oculos truces, vocis stridorem horribilem: solum hominem nudum produxit, imbecillum, tenerum, inermem; carne mollissima, cute læui.

Nihil

Nihil vſquam in membris quod ad pugnam aut violentiam datum videri poſsit: vt ne dicam interim quod cetera fere ſtatim vt nata ſunt, ſibi ſufficiunt ad vitam tuendam: ſolus homo ſic prodit vt multo tempore totus à ſubſidio pendeat alieno. Nec fari nouit, nec ingredi, nec cibum capere, vagitu tantum implorat opem: vt vel hinc coniici poſsit, ſolum hoc animal totum amicitiæ naſci, quæ mutuis officijs & coit & cohæret potiſsimum. Proinde Natura voluit hominem vitæ munus non tam ſibi quam beneuolentiæ acceptum ferre, quod videlicet intelligeret ſe Gratijs eſſe dicatum ac neceſsitudini. Tum ſpeciem dedit non tætram ac horridam vti ceteris animantibus; ſed mitem ac placidam, beneuolentię & amoris notas præ ſe ferentem. Tribuit oculos amicos; & in his animi ſigna. Dedit brachiorum ſinus ad am-

Qua tota beneuolentia & amicitia dicata.

ple-

amplexum. Dedit osculi sensum, quo ceu sese contingerent & copularentur animi. Vni risum attribuit, alacritatis indicium; vni lachrymas, clementiæ & misericordiæ symbolum. Quin & vocem dedit non minacem & horrendam sicut belluis, sed amicam ac blandam. Nec his contenta Natura sermonis & rationis vsum vni homini tribuit: quæ quidem res ad parandam & alendam beneuolentiam in primis valet, ne quid omnino per vim inter homines gereretur. Inseuit odium solitudinis, amorem sodalitatis. Indidit penitus beneuolentiæ semina. Fecit quod est saluberrimum, idem vt sit & suauissimum. Quid enim amico iucundius? Quid æque necessarium? Proinde si maximè liceret absque mutuo commercio vitam agere, nihil tamen iucundum videri possit absque socio: nisi quis prorsus hominem exuerit, & in feram

ram degenerarit. Addidit insuper & disciplinarum liberalium studium & cognitionis ardorem: quæ res vt potissimum hominem abducit ab omni feritate, ita ad conciliandas necessitudines præcipuam vim habet. Siquidem nec affinitas, nec sanguinis propinquitas, arctioribus aut firmioribus amicitiæ vinculis adstringit animas, quã honestorum studiorum societas. Super hæc admirabili quadam varietate dotes tum animorum tum corporum inter mortales partita est; nimirum vt singuli in singulis inuenirent quod vel amarent ac suspicerent ob excellentiam, vel ob vsum & necessitatem ambirent atque amplecterentur. Denique indidit diuinę mentis scintillulam, vt nullo etiam ostenso præmio, tamen per se iuuet bene mereri de omnibus. Id enim Deo maxime proprium ac naturale, suo beneficio consulere vniuersis. Alioqui

Præsertim humanioribus literis expolita.

Diuina etiam menti quodammodo cognata.

qui

qui, quid illud esse dicemus, quod haud vulgarem animo sentimus voluptatem, vbi quempiam per nos seruatum intelligimus? Et ob hoc ipsum homo charus est homini quod insigni quopiam beneficio obstrictus est. Proinde Deus in hoc Mundo velut simulacrum quoddam sui constituit hominem, vt ceu terrenum quoddam numen saluti prospiceret omnium. Sentiunt hoc ipsa etiam bruta: quum videamus non mitia solum, verum etiam pardos ac leones, & his immitiores bestias in magnis periculis ad hominis opem confugere. Hoc extremum omnibus asylum; hæc ara est sanctissima vnuersis; hæc nulli non sacra ancora.

Belli repræsentatio seu pictura.

Hominis effigiem vtrumque depinximus. Núc Belli simulacrũ ex aduerso cum hac, si videtur cõparemus. Iam igitur videre te puta barbaras cohortes, ipso vultu sonoque vocis horrendo vix quid-

quam

quam humani præ ſe ferentes, hinc atque illinc inſtructas ferratas acies, formidabilem armorum crepitum ſimul & fulgorem, horrendum tãtę multitudinis fremitum, rauca cornua, terrificum taratãtarę ſtrepitum, tonitrua bombardarum, veris non minus formidoloſa, ſed magis noxia, ac periculoſa, clamorẽ inſanũ, furioſũ cõcurſum, immanem lanienam, cędentium & cadentium crudeles vices, congeſtas ſtrages, campos cruore exundantes, fluuios humano rubentes ſanguine. Fit interea nonnumquam vt frater incidat in fratrem, affinis in affinem, amicus in amicum; & communi furore iam debacchante, in eius viſcera ſtringat ferrum à quo ne verbo quidem vmquam fuerat læſus. Denique tantum malorum habet illa tragœdia, vt à commemoratione quoque humanum pectus abhorreat. Vt interim non referam illa vulgaria præ his leuiaque: protri-

tas

Effectus. tas segetes, exustas villas, incensos pagos, abacta pecora, constupratas virgines, tractos in captiuitatem senes, direpta templa, latrocinijs, prædationibus, violentia denique plena ac confusa omnia. Vtque taceam illa quæ felicissimum etiam iustissimum bellum consequi solent, expilatam plebem, oneratos proceres, tot senes orbos, & simul in cæde liberorum infelicius occisos quam si hostis mali sensum vnà cum vita sustulisset; tot anus destitutas, & crudelius quam ferro peremtas, tot matronas viduas, tot liberos orphanos, tot domus funestas, tot opulentos ad inopiam & incitas redactos. Nam de morum pernicie quid attinet loqui? quum nemo nesciat vniuersam vitæ pestem semel ac simul è bello proficisci. Hinc pietatis contemtus, hinc legū neglectus, hinc ad quiduis audendum sceleris prōtus animus. Ex hoc fonte nobis

bis tam ingens latronum, raptorum, ſacrilegorum, percuſſorum ac paricidarum turba ſcatet. Et quod eſt omnium grauiſsimũ, hæc exitialis peſtilentia ſuis ſe neſcit continere ſpacijs; ſed in vno quopiam angulo nata, non ſolum finitimas regiones veluti contagio peruadit, verum etiam procul ſemotas, vel mercede vel per affinitatis aut federis occaſionem in cõmunem tumultum ac tempeſtatem pertrahit. Quin etiam bellum è bello ſeritur, ex ſimulato verum, ex puſillo maximum exoritur: neq; raro ſolet in hoc accidere quod de Lernæo monſtro fabulis proditum eſt. Hiſce de cauſis, opinor, veteres illi Poetæ, qui rerum vim & naturam & ſagaciſsime perſpexerũt, & aptiſsimis figmentis adumbrarunt, tradiderunt bellum ab inferis immitti, idque furiarum miniſterio: neque quamlibet Furiam ad hoc negotij conficiendum

Contagio.

Belli auctor quis

esse idoneam. Deligitur omnium pestilentissima,

—— Cui nomina mille,
Mille nocendi artes.

Hęc innumeris armata colubris, tartaream buccinam inflat. Pan insano tumultu complet vniuersa, Bellona,atrox quatit flagellum, Furor impius ruptis omnibus vinculorum nodis euolat horridus ore cruento. Neque non hæc viderunt Grammatici: quorum alij Bellum per Antiphrasin dictum volunt, quod nihil habeat neque boni neque *belli*; nec alia ratione bellum esse bellum quam Furiæ sunt seu dicuntur Eumenides. Alij malunt à Bellua deductū, quod belluarum sit, non hominum, in mutuum exitium concurrere.

Etymon.

At mihi sane plus quam ferinū plusquam belluinum videtur, armis confligere. Primo enim pleraque brutorum animantium in suo quodque genere, concorditer & quasi

Bruta homine mitiora.

quaſi ciuiliter degunt, gregatim incedunt, ope mutua ſe tuentur. Ne feræ quidem omnes dimicant (ſunt enim quædam innoxiæ, vt damæ & lepores) ſed omnium efferatiſsimæ, vti leones, lupi, tigrides. Quamuis nec hæ inter ſe belligerentur, vti nos. Canis caninam non eſt. Leonum feritas inter ſe non dimicat. Draconi cũ dracone pax eſt; inter venena conuenit. At homini nulla fera pernicioſior quam homo. (Hinc illud, *homo homini lupus.*) Rurſus illæ quum pugnant, ſuis pugnant armis: Nos præter naturam cacodæmonum arte excogitatis inſtrumentis in mutuam vtimur perniciem. Nec illæ quibuslibet de cauſis ſæuiunt, verum vbi vel fames ſtimulat in rabiem, vel ſe peti ſentiunt, vel fetibus ſuis timent. Nos, Deum immortalem! quam friuolis de cauſsis quantas bellorum tempeſtates excitamus!

Ob inanissimos ditionum titulos, ob puerilem iram, ob præreptum locum, ab interceptam mulierculam, ob causas quoque his magis ridiculas. Adhæc, inter feras vni cum vna bellum est; idque perbreue; & vt cruentissima pugna sit, vna aut altera vulnerata disceditur. Quando auditum est id quod passim faciunt homines, centum belluarum millia mutuo laniatu periisse? Adde, quod vt feris quibusdam naturale dissidium est cũ aliis diuersi generis; ita rursum habent cum quibus gemina firmaque cohærent amicitia. At homini cum homine & quolibet iugis pugna est; nec vllũ satis firmũ fedus inter vllos mortaliũ. Adeò quidquid à sua recessit natura, in peiorem degenerat speciem quam si natura malitiam ingenerasset. Vis scire, quam ferina, quam fœda, quam non digna homine res sit bellum? Spectastine vmquam leonem cum vrso commissum? Qui ructus, qui ru-

gitus,qui fremitus,quę immanitas, quæ laniena? Inhorrescit qui spectat etiam in tuto. At quanto fœdius spectaculum, quanto immanius, videre hominem cum homine, tot armis, tot telis instructum confligere? Quæso te, quis homines crederet, nisi consuetudo mali sustulisset admirationem? Ardent oculi, pallent ora, furorem pręfert incessus, frendet vox, clamor insanus, totus homo ferreus est, crepāt arma, fulminant bombardæ. Mitius erat si cibi causa homo hominem deuoraret, si sanguinem hauriret, quamquam huc quoq; ventum est à quibusdam, vt id odij gratia faciant quod excusatius faceret vsus aut necessitas. At nunc idem fit crudelius, telis veneno tinctis, & tartareis machinis. Nullum hic vsquam hominis vestigium. An credas hic ipsam Naturam agnituram quod condidit? Et si quis admoneat, an non merito hu-

Comparatio pugnæ belluæ cum humana.

Bellum contra Naturã iusmodi verbis sit exsecratura impium facinus: Quod nouum ego spectaculum video? Quis tartarus nobis hoc portentum edidit? Sunt qui me nouercam appellent, quod in tam immensa rerum vniuersitate venena quædam genuerim, quãquam & hęc aliquando in hominis commodum cessura: quod aliquot animantia parum mitia finxerim; etiamsi nulla fera tam immitis sit quin arte & officijs possit cicurari. Hominis curâ mansuescunt leones, mitescunt dracones, seruiunt vrsi. Quæ tandem est ista plusquam nouercą, quæ nouam hanc belluam totius mundi pestem nobis dedit? Vnum ego animal totum genui beneuolentiæ, placidum, amicum, salutare. Qui factum est vt in huiusmodi feram degenerarit? Nihil hic agnosco hominis illius quem ego finxi. Quis malus genius vitiauit opus meum? Quæ saga mentem humanam excantauit, & incan-

incantauit belluinam? Quæ Circe natiuam mutauit formam? Iuberem vt ad speculum sese contemplaretur infelix: sed quid cernant oculi, quum mens absit? Tamen aspice teipsum, si potes, furiose bellator; si quo pacto cõtingat resipiscere. Vnde tibi minax crista verticis? Vnde fulgens galea? vnde ferrea cornua? vnde pinnati cubiti? vnde squamæ? vnde dentes ærei? vnde laminæ? vnde tela lethifera? vnde vox plusquam ferina? vnde vultus iste plusquam belluinus? vnde tonitru & fulmen, ipso Iouis fulmine tum formidabilius, tum nocentius? Ego te diuinum quoddam animal finxi: quid venit in mentem vt te ipsum in tam immanem belluam transformares, vt nulla iam bellua futura sit bellua, si cum homine comparetur? Hæc atq; alia id genus plurima diceret, opinor, architectrix illa rerum Natura. Proinde quum sic condi-

Descriptio ad armati.

tus sit homo quemadmodum ostensum est; quum huiusmodi res sit bellum, quemadmodum nunuum crebro miseri homines experiuntur; haud mediocriter mirandum videtur, quis morbus aut quis casus primum in humanum pectus immiserit vt lethale ferrum in hominis stringeret viscera. Multis gradibus ad tam insignem insaniam ventũ sit oportet. Nemo siquidem, vt ait Satyricus, repente fuit turpissimus: semperq; malorum maxima sub specie ac vmbra boni subrepserunt in hominum vitã. Olim igitur quũ rudes illi priscique mortales nudi, sine mœnibus, absque tecto vitam in sylvis agerent, euenit aliquoties vt à feris ac belluis offenderentur. Tum vero primum ab homine susceptum bellum est: ac vir fortis habebatur ac dux qui ferarum vim ab homine depulisset. Quin & æquissimum vide-

Belli initium à belluarũ cade.

Belli incommoda.

videbatur iugulare iugulantes, trucidare trucidantes; præsertim quum nulla lacessitæ iniuria vltrò nos impeterent. Ea res quum summæ laudi duceretur (hinc enim Hercules & alij dij facti sunt) cœpit animosa iuuentus passim venerari bestias, & exuuias ceu trophæa ostentare. Deinde non contenti iugulasse, pellibus illarum sese munierunt aduersus cœli iniurias hyemisque rigorem. Hæ erant primæ ab homine factæ cędes, hæc spolia. Posthæc longius progressi, rem ausi sunt quam Pythagoras vehementer impiam putauit, & nobis poterat prodigiosa videri, nisi vetaret consuetudo: quę tantum vbiq; vim habet, vt apud nationes quasdam pium fuerit habitum, parentem grandæuum plagis obrutum in fossam depellere, & eripere vitam illi per quem vitæ munus, post Deum, contigerat: sanctum haberetur

carnibus affinium & amicorum vesci: pulcrum existimaretur, virginem in Veneris fano prostare populi libidini: multaq; his absurdiora: quę si quis nunc referat tantum, nemo non sit abominaturus. Adeo nihil est tam scelerosum, nihil tam atrox quod non probetur, si id commendet assuetudo. Ergo quod ausi sunt facinus? Non veriti sunt vesci ferarum exstinctarum cadaueribus, dẽtibus laniare carnẽ exanimẽ, haurire sanguinẽ, exsugere saniem, & viscera, vt ait Ouidius, in viscera condere. Id facinus tametsi primum mitioribus ingenijs immane videretur, tamen commendauit vsus & commoditas. Placuit & in delicias, cadaueris species. Carnes insepeliuntur crustis, condiuntur aromatibus, inscribitur titulus: *Hic situs est aper, hic sepultus est vrsus.* Processum est longius. A noxijs feris itum est ad innoxias, Sæuitum est in oues, *animal*

Quæ & in cibum adhibita.

mal sine fraude doloq;, sæuitum in leporem, non aliud ob crimen quam quod esculentus esset. Nec temperatum à boue domestico qui suo sudore diu aluerat ingratam familiã: nulli volucrum, nulli piscium generi parcitum est: & eò processit gulę tyrannis, vt nullum animal vsquam tutum esset ab hominum crudelitate. Verum hoc quoq; non persuasit modo consuetudo, sed commendauit quoq; vsus, vt nulla sæuitia videretur in vllum animãtium genus, modo ab hominis cæde temperaretur. Sed in nobis forte situm est, vitium, quemadmodum mare, non admittere; verum vt admisso limitem præscribamus id non est cuiquam in manu. Semel receptum vtrumuis haud nostro ducitur arbitrio, sed suo fertur impetu. Postea quam his rudimentis essent ad cædem exercitati, persuasit ira vt homo hominem fuste, saxove aut pugno peteret:

Apud primos homines quæ & qualia bella.

Siquidem ijs armis tum adhuc pugnabatur, opinor: & iam occidendis pecudibus didicerant, hominem quoq; minimo negocio posse perimi. Verum ista crudelitas diu constitit intra monomachias. Vnius iactura bellum dirimebatur; nonnunquam vterque cadebat: sed vterq; vita indignus. Adhæc nonnullam quoque æqui speciem habebat, sustulisse inimicũ: laudi quoq; cœptum est dari, si quis violentũ aliquẽ aut pestilentem hominem, vt Cacum aut Busiridem, confecisset, orbemq; mõstris istiusmodi liberasset: Siquidẽ videmus hos quoq; titulos in Herculis exstare laudibus. Deinde concursum est à pluribus, vt quosque vel affinitas, vel vicinia, vel necessitudo coniunxerat. Et quod nunc latrocinium est, tum bellum erat. Saxis & sudibus præustis adhuc res gerebatur. Riuulus occurrens, aut rupes, aut aliud quidpiam obuium, prœlium dirimebat. In-

terea dũ crescit vsu feritas, dũ gliscunt irę, dum ardescit ambitio; furorem suũ armant ingenio. Excogitantur arma qualiacunq; quibus se communirent; excogitantur tela quibus hostẽ perderẽt. Iam passim, iã frequẽtiore manu, iã armati conflictari cœperũt. Nec huic manifesto furori suus defuit honos. Bellũ appellarũt; & Virtutem esse voluerunt, si quis sui capitis periculo vim hostium à liberis, ab vxore, à pecore, à domesticis latebris & focis depelleret. Atq; ita paulatim vna cum cultu rerum crescẽte Militia, bellũ indicere cœpit ciuitas ciuitati, regio regioni, regnum regno. Quãquã in re per se crudelissima tamẽ remanebãt adhuc humanitatis pristinæ vestigia. Repetebãtur res per fecialẽ, citabãtur testes superi, velitatione præludebatur ad pugnã. Telis vulgaribus, & virtute, nõ dolo res agebatur. Nefas erat ferire hostẽ nisi signo da-

to;extra ordinem, aut post receptum ab imperatore cani iussum non licebat pugnare. Deniq; virtutis & gloriæ certamen erat magis quam fundendi sanguinis cupiditas. Nec dum arma mouebantur nisi in exteros, quos ob *id hostes*, velut hospites appellabant. Hinc nata sunt imperia, quorum nullum vnquam fuit in vlla natione, quod non fuerit multo humani generis sanguine partum. Deinceps assidue bellorum vices, dum alius alium ab imperio deturbat, idque sibi vindic t. Posthæc quum imperia quoq; ad sceleratissimos deuenissent, iam in quoslibet pro libidine mota sunt arma: neq; male meriti, sed bene fortunati cœperunt belli periculis maxime esse obnoxij; iam prœlij scopus non laus esse, sed sordidum lucrum hostisq; exuuiæ, aut hoc etiam sceleratius aliquid. Hæc quidem prima belli videntur initia, turpia sane illa & ab homi-

Quæ imperantiũ vitio crudeliora indies exstiterũt

nis

nis naturâ aliena: à quibus tamen eò peruentum eſt, vt tota vita nihil fere aliud agatur. Bella geruntur aſsidue, gens cum gente, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, Princeps cum Principe, populus cum populo collidit ur, & (quod Ethnici quoq; fatentur impium) affinis cum affini, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre, deniq; (quod his omnibus atrocius) Chriſtianus cum homine; addo inuitus quod eſt atrociſsimum, Chriſtianus cum Chriſtiano hoſtiliter concurrit. Et ô cæcitatem mentis humanæ! hæc nemo miratur, nemo deteſtatur. Sunt qui applaudant, qui vehant laudibus rem pluſquam tartaream, &c.

Iam ſicut hominem cum bello, hoc eſt, animal longè placidiſsimum cum re longe immaniſsima compoſuimus, quo magis perſpicua fieret atrocitas; ſic bellum cum pace *Belli cum pace comparatio.*

pace, rem miserrimã scilicet & sceleratissimã, cũ re felicissima simul & optima comparemus: atque ita demũ apparebit, quantæ *Stultitiæ*, vel potius dementiæ sit, tanto tumultu, tantis laboribus, tãto sumtu, tanto discrimine, tot calamitatibus affectare bellum, quum multo minoris emi possit concordia. Principio quid in tota rerum Natura melius aut dulcius Amicitia? Nihil profecto. Atqui quid aliud est pax quàm multorum inter se amicitia? sicuti vicissim bellũ nihil aliud est quam multorũ simultas. Bonorum autẽ ea est ratio, vt quo latius patent, hoc plus adferãt cõmoditatis. Proinde quũ vnius cum vno necessitudo res sit adeo suauis & salutaris; quam ingens erit felicitas si regnum cum regno, si natio cum natione pacis & necessitudinis vinculo copuletur? E diuerso malarum rerum ea est natura, vt quo latius manarint, eo plus mali

mali ac miseriarum inuehant. Itaque si miserum, si sceleratum est hominem cum homine ferro congredi: quanto calamitosius quantoq; sceleratius est idem à tot hominũ millibus fieri. Concordia res paruæ crescunt; discordia magnæ dilabuntur. Pax omnium bonarũ rerum & parens est & nutrix: Bellum repente semelq; ac simul quidquid est lætum, quidquid est pulcrũ obruit, exstinguit, abolet, omniumq; malorum Lernam quamdam in vitam humanam effundit. Pacis tempore non secus ac si nouũ quoddam ver rebus humanis adfulserit, colũtur agri, vernant horti, pascuntur lætæ pecudes, ædificãtur villæ, exstruuntur opida, instaurãtur collapsa, ornãtur, & augẽtur tenuia & angusta, crescũt opes, alũtur honestę voluptates, vigẽt leges, floret disciplina reipublicę, feruet religio, valet ęquitas; colitur humanitas, calẽt artes opificũ, vberior *Pacis effectum.*

est

est quæstus pauperum, splendidior diuitum opulentia, efflorescunt honestissimarum disciplinarũ studia, eruditur iuuentus, tranquillo fruuntur ocio senes, bonis nubunt auspicijs virgines, florent boni, minus peccant mali. At simulatque sæua belli tempestas incubuerit, Deũ immortalẽ, quam ingens malorum pelagus occupat, inũdat, obruit vniuersa. Abiguntur armẽta, proteruntur segetes, trucidantur agricolæ, exuruntur villæ, tot sæculis exstructæ florentissimæ ciuitates vna procella subruuntur. Adeo procliuius est lædere quam benefacere. Ciuium opes ad exsecrandos latrones ac sicarios transferuntur, morent domus metu & luctu, querimonijs ac lamentis cõplentur omnia: frigent artes opificum; pauperibus aut fame moriendum, aut ad impias confugiendum est artes: diuites aut ereptas deplorant facultates, aut timent

Effectus belli.

reli-

relictis, vtroque modo miserrimi: virginum aut nulllæ, aut tristes & funestæ nuptiæ; maritis orbæ matronæ domi sterilescunt, silent leges, ridetur humanitas, nullum locū habet ęquitas, religio ludibrio est, sacri & profani nullum omnino discrimen. corrumpitur omni vitiorum genere iuuentus, damnant longæuitatem suam luctuosi senes: nullus honos habetur honestis litterarum studijs. Vt verbo dicam: plus malorum sentimus in bello quam vllius hominis sermo possit assequi. Verum enimuero tolerari forti poterat, si bella calamitosos modo nos facerent, non etiam nocentes & impios; si pax feliciores tantùm, non meliores quoque. Impius autem est, non modo Stultus, quisquis bellum accersit. Nimium hei, nimium malorum erat, quibus assidue vexatur, atteritur, absorbetur ęrumnosa mortalitas. Ante bis

Bella impietati coniūcta.

mille

Mille vitæ pericula. mille ferè annos trecēta morborū nomina, Medicis sunt animaduersa, præter eorū species, & quotidie sub nascētes nouos, & senectutem ipsā, morbū vt immedicabilem, ita tandem lethalem. Legimus alibi totas vrbes terra quassatione subrutas, alibi conflagrasse fulmine, alibi solidas terrarū hiatu etiā regiones absorptas, alia opida cuniculorū suffossione corruisse: vt ne commemorē quantā hominū multitudinē iam ob assuetudinē cōtēti casus absumant; exundatio maris & fluminū, ruinæ montiū & ædificiorum, lapsus, venena, feræ, cibus, potus, somnus. Aliū haustus in potu lactis pilus, aliū acinū vuæ, aliū os piscis gutturi inhærēs præfocauit. Sunt quos subitum exanimarit gaudiū, nā de vehementi mœrore minus est mirum. Adde nunc fatales pestilētias, nō raro passim sęuientes. Nihil fere est vnde nō immineat periculū humanę vitę, alioqui per

se fugacissimæ. Tātū vndiq; malorū obturbat, vt nō sine caussa Homerus hominē omniū animātium miserrimū pronunciasse videatur. Verū hæc mala, quoniā nec vitari facile possūt, nec de industria accersuntur, calamitosos tātū faciūt, nō etiā facinorosos. Quid iuuat tā innumeris obnoxios calamitatibus vltro sibi malum, quasi desit, aduocare? Et quidē nō vnū de multis malū, sed malū vnū omniū deterrimū ac tæterrimū, tā periculosū vt vincat omnia; tā fecundū, vt ex se gignat vniuersa; tā pestilēs, vt nō minus impios efficiat quā ærūnosos; vt miserrimos reddat, nō tamē miserādos, nisi hos qui illud minime volūt, maxime tamē sētiūt? Adijce, quod pacis cōmoda latissime se diffūdūt & ad plurimos pertinēt. In bello si quid feliciter cecidit (quanquam ô Deus, quid hic potest dici felix!) id ad paucos pertinet, & sæpe eos ipsos indignos. Alte-

Pax sentissimum à bello.

Alterius salus, alterius est exitium; alterius opes, alterius sunt spolia; huius triumphus, illius est luctus: vt acerba sit infelicitas, immanis & cruenta felicitas. Quamquam plerumque fit, vt velut in Cadmea victoria, pars vtraque ploret. Ergo quum Pax res sit tum omnium optima, tum iucundissima; bellum contra res omnium miserrima simul & sceleratissima; num hos sanæ mentis arbitrabimur, qui quum illam non difficilime parare queant, hoc malint etiam cum summis difficultatibus accersere & amplecti? Primum quam insuauis res primus ille belli rumor, deinde quantum inuidiæ subeundum Principi, dum crebris decimationibus expilat suos! Quantum negocij in adiungendis autretinendis auxilijs! quātum in accersendo mercenario milite! Quantum impendij simul & curarum in apparandis classibus; in extru-

Belli incommoda.

ſtruendis aut ſarciendis arcibus & præſidijs, in adornandis tentorijs, in fabricandis & comportandis machinis, armis, telis, vehiculis, commeatibus? Quantum laboris exhauriendum in compingendis vallis, in euacuandis foſsis, in ſuffodiendis cuniculis, in excubijs, in ſtationibus, in exercitamētis? Omitto iam metus, omitto pericula. Quid enim non metuendum in bello? Quis enumerare valeat incommoda vitæ quæ ſtultiſsimi milites in caſtris perferunt? ob id maioribus digni quod ſponte perferunt. Victum, quem bos quoque faſtidiat Cyprius; cubile quod aſpernetur ſcarabęus; ſomnos raros nec hos tuo datos arbitrio. Tentorium vndiq; ventis peruium, ac ſępe ne tentorium quidem. Durandum ſub dio, cubitandum humi, ſtandum in armis, ferenda inedia, frigus, æſtus, puluis, imber; feruiēdum ducibus, vapulandum; adeo

vt

vt nulla ſit vllius mancipij ſeruitus indignior quam militum. Quã-primum triſte ſignum editur, eundum ad mortem , vt aut occidas immaniter , aut cadas infeliciter. Tantum malorum ſuſcipitur, vt ad rem omnium miſerrimam, & Naturæ maxime inimicam liceat peruenire: tam immenſis malis nos ipſos prius affligimus, vt alios poſsimus affligere. Quod ſi velimus rẽ ad calculum vocare, & veris rationibus expendere quanti bellum conſtet, quanti pax: profecto comperiemus, hanc vel decima parte curarum, laborum, moleſtiarum, ſudorum, periculorum, ſanguinis deniq; poſſe cõparari quibus bellum accerſitur. Tantam hominum turbam educis in periculũ vt oppidum aliquod euertas, quanta vel citra periculum aliud multo præclarius poterat exſtrui. Sed nocere vis hoſti. Iam hoc ipſum inhumanũ. At prius illud, quæſo, prius ex-
pen-

pende,num illi nocere non possis nisi prius noceas tuis. Et furiosi videtur hominis,tantum certi mali sibi vltrò accersere;quum incertum sit quomodo belli alea casura sit. Verum esto: rapuerit ad hanc insaniā ethnicos vel stultitia, vel ira, vel ambitio, vel auaritia, vel immanitas, siue (quod magis arbitror) ab Inferis emissæ Furiæ: vnde hoc Nobis in mentem venit, vt Christianus inChristianū cruētū stringat ferrū? Paricidiū vocatur, si frater occidat fratrem. At Christianus Christiano cōiūctior est quā vllus germanus germano; nisi firmiora sint & sāctiora Naturæ vincula quā Christi. Quā absurdū est eos pæne cōtinenter inter se belligerari quos vna domus habet Ecclesia,qui velut eiusdē corporis mēbra,cōmuni capite gloriātur nēpe Christo;qui cōmunē habent Patrem in cœlis;qui communi vegetantur spiritu, ijsdem initiati sunt My-

Incertitudo.

Bellum Christianis omnino indignum.

mysterijs,eodem redemti sanguine,eodem renati fonte; ijsdem aluntur sacramentis, eidem militãt imperatori,eodem vescuntur pane,communem habent hostem diabolum; postremo, ad eandem omnes vocati sunt hæreditatem. Vbi sunt tam multa perfectæ concordiæ sacramenta,vbi tam innumera pacis documenta? Vnum pręceptum Christus appellauit suum, nempe charitatis. Cum hac quid æque pugnat ac bellum. Felici pacis omine salutat suos. Discipulis præter pacem nihil largitur, nihil præter pacem legat vel relinquit. Quid vndiq; sonãt D. Pauli epistolæ nisi pacẽ? Quid Ioãnes loquitur, quid iterat,nisi dilectionem? Quid aliud Petrus,quid aliud omnes fere Christiani scriptores? Vnde tantus bellorum tumultus inter pacis filios? Christus se vitem appellat; suos,palmites. Quis vnquam vidit palmitem pugnare cum palmite?

Quibus pax commēdata.

scribit

Scribit D. Paulus Ecclesiam nihil aliud esse, quam vnum corpus è diuersis membris cõnexum. Quis vidit oculum pugnare cum manu, aut ventrem cum pede? In hoc Vniuerso, rerum omnium tam dissimilium harmonia quædam est. In animali corpore si quid vni membro accidit, opitulatur vniuersum corpus. An plus potest in perituro corpore Naturæ connexio, quam in mystico & immortali copula spiritus? Christus quidem nihil aliud esse voluit suam Ecclesiam quam cœlestem quemdam populum, in terris ad ipsius imaginem, quoad eius fieri potest, viuentem, illò properantem, & ab illo pendentem. Age, finge iam mihi nouũ aliquem hospitem, vel è Lunaribus illis ciuitatibus, quas inhabitat Empedocles (etiam Neoterici quidam) vel ex vno quopiam Mundo eorum quos innumerabiles fabricatus est Democritus, in hunc

noſtrum venire, vt quid hic rerum agatur cognoſcat: quumq; de ſingulis edoctus, audierit, eſſe vnum quoddam animal, mire compoſitum ex corpore, quod cum brutis habeat commune, & ex animo, quo diuinæ mentis referat imaginem: idq; adeo eſſe generoſum, vt quamuis hic exſulet, tamen ceteris omnibus imperet animantibus; quod ob cœleſtem originem ſemper ad cœleſtia nitatur & immortalia; quod tantæ curæ fuerit æterno Numini, vt, quoniam neq; Naturæ viribus, neq; Philoſophiæ rationibus aſſequi poterat quod affectabat, vnicum filium ſuum huc ablegarit, qui nouum doctrinæ genus inueheret: Deinde is ſimulatq; totam Chriſti vitam ac doctrinam perdidicerit, cupiat ex edita quapiam ſpecula videre quod audiſſet: vbi vero conſpexerit, cetera animantia probe in ſuo genere degere, ac naturæ legi-

Homo aliquo modo deteri-

legibus duci, nihilq; appetere quã quod ipsa dictet; vnum vero illud diuinum scilicet animal inter se cauponari, rixari, belligerari: nonne quoduis animal potius suspicabitur hominem esse quam ipsum hominem? Deinde admonitus ab indice quis sit homo, iam dispiciat vbi sit grex ille Christianorum, qui cœlestis illius Doctoris institutum sequentes, angelicæ ciuitatis simulacrum exhibeant: annon vbiuis potius iudicabit habitare Christianos quam in his regionibus, in quibus tantum videret luxum, libidinem, fastum, tyrannidem, ambitionem, fraudem, inuidiam, iracundiam, discordiam, rixas, tumultus, pugnas, bella, fœdissimam denique omnium malorum LERNAM. Neque enim apud Ethnicos vmquam aut magis assidue aut crudelius bella gesta sunt quam inter Christianos. Quas tempestates,

or animantibus.

Christianus Ethnicis.

quos bellorum æstus, quoties discissa federa, quas strages & superioribus annis conspeximus, & adhuc (pro dolor!) conspicimus. Quę natio cum qua non conflictata est ferro? Et nos ijdem Turcam exsecramur, quasi posśit vllum spectaculum Turcis esse iucundius quam quod illis quotidie mutuis cladibus attriti exhibemus. Insaniebat Xerxes, quum Græciam invasurus, ingentem illam multitudinem educeret. An tibi compos mentis videtur qui Atho monti minaces scripserit litteras, ni cederet; qui mari Hellespōto, quod parum commodum fuisset nauigare volenti, plagas iusserit infligi? Furebat Alexander ille Magnus. Quis negat? Optabat semideus ille plureis Mundos quos deuinceret. Tāta gloriæ febris iuuenilem obsidebat animum. Et tamen isti, quos Seneca non dubitat furiosos appellare

Xerxis stultitia.

lare latrones,bellabant humanius nobis,bellabant maiori fide, nec feralibus machinis, nec similibus artibus,nec tam friuolis titulis quā nos Christiani. Si euoluas Ethnicorum historias,quam multos reperies duces,qui miris artibus bellum declinarunt? Quidam etiam Principatu cedere quam Marte experiri maluerunt. Ethnici bellatores priusquam venirent ad arma, veniebant in colloquium. Apud Romanos omnibus frustra tētatis, mittebatur Fetialis cum Patre patrato,certæ peragebantur ceremoniæ, nimirum moræ quærebantur quæ bellandi furorem temperarēt. Atq; ijs quoq; peractis,non licebat manum conserere cum hoste, nisi signo dato: quod ita dabatur, vt miles nesciret quando dandum esset. Ac ne hoc quidem dato,licebat cuiquam hostem vel lacessere vel ferire, qui quamquam in castris

Antiqui bellorum ritus.

verſaretur, tamen ſacramento militari non eſſet obſtrictus: adeo vt Cato ſenior filium in caſtris ceſſantem per litteras admonuerit, vt Romam rediret, aut ſi mallet apud exercitum manere, veniam congrediendi cum hoſte peteret à duce. Iam vt belli ſignum non faciebat poteſtatem pugnandi niſi militari ſacramento adſtrictis; ita ſignum quo canebatur receptui, omnibus adimebat occidendi facultatem; vnde à Cyro laudatus eſt miles quidam, qui quum ſublato gladio hoſtem iamiam eſſet interfecturus, mox vt ſenſit cani receptui, hoſtem dimiſit. Hæc eo pertinebant, ne quis crederet ſibi licere occidere hominem niſi neceſsitas impelleret. Nunc inter Chriſtianos vir fortis habetur, ſi quis eius gentis quacum bellum geritur hominem, forte obuium in nemore, non armatum, ſed pecunijs onuſtum, non bellum molientem, ſed

ne

ne bellandum ſit, aliquò fugiente, occiderit, occiſum ſpoliauerit, ſpoliatum defoderit. Et milites vocantur, qui ſpe lucelli vltro prouolant ad pugnam; & in vtraque acie ceu gladiatores pugnant germani aduerſus germanos, ad eiuſdem Principis ditionem pertinentes. Et hi quum à talibus prœlijs redeunt domum, velut egregij milites ſua narrant facinora, nec interim vt prędones ac patrię perduelles, ac Principis deſertores puniuntur. Carnificem abominamur, quod conductus, ex legum auctoritate ſontes damnatoſq; iugulat: & qui relictis parentibus, vxoribus ac liberis, vltro procurrunt in bellum, non conducti, ſed ambientes vt ad impiam lanienam conducantur, vbi domum redierint, gratioſiores pænè ſunt quam ſi nuſquam abfuiſſent. Infamis eſt, qui veſtem furto ſuſtulit: qui & proficiſcens in militiã, & militans, *Milites hodierni quales.*

& rediens à militia tot immeritos spoliauit, inter fortes viros habetur. Ex militibus autem qui se gessit immanissime, dignus habetur qui proximo bello ducem agat.

Principes. Quod si Principes Christianos cum Ethnicis conferas, quanto nostra caussa deterior. Illi plerumque præter gloriam nihil ambiebant. Gaudebant florentiores reddere prouincias quas bello subegissent: populos agrestes, sine legibus ferarum ritu viuentes, ciuilibus artibus expoliebant: regiones incultas, exstructis oppidis reddebant celebres; portubus, litoribus, aggeribus, milleq; id genus commoditatibus vitam hominum adiuuabant: vt multis expedierit deuinci: Quin in medijs etiam bellis quam multa feruntur ab his vel dicta sapienter, vel gesta temperatè? Ceterum quæ gerũtur in bellis Christianorum, & obsceniora sunt & atrociora quam vt hic sint commemoranda.

Ergo

Ergo tu, inquis, omne bellum damnas? Minime gentium: sed illud tantum, quod vt stulte suscipitur, ita impie geritur, ac tandem misere ac fere turpiter finitur. Numquid stultum sit, ita ius tuum persequi, vt non te modo, verum etiam infinitos alios innocentes homines exitio inuoluas? Quid Principes hic facere deceat, alij earum rerum periti dispiciãt: quamuis nec illi quidquam sibi hic præscribi facile patiantur. Sed quid? numquid optandum esset, vt illud priuatum exemplum, quod vulgo non infestiuo commento celebratur, imitentur? Parum conueniebat inter cognatos duos de re diuidunda: quumq; neuter alteri vellet cedere, res eò spectabat, vt iretur in ius, & iudicum sententijs controuersiam finiretur. Adibantur Aduocati, parabantur dicæ, res erat cum Iureconsultis. Aditi Iudices, contestata lis, cœpit agi caus-

An & quomodo ius persequendum

Apologus

 sa;

ſa;hoc eſt,bellum ſuſceptum eſt. Ibi alter mature reſipiſcens, aduerſarium priuatim accerſitum his verbis alloquitur:principio parũ decorum eſt, vt quos Natura & cognatio copulauit,pecunia diſſociet. Deinde incertus eſt litis euentus,haud minus quam belli. Incipere nobis in manu eſt; finire non eſt. De cẽtum aureis tota lis eſt. Eius ſummæ duplum in Notarios,in Procuratores,in Aduocatos,in Iurecõſultos,in Iudices,in Iudicũ amicos expendetur, ſi legibus experiamur. His erit inſeruiẽdũ, adulãdũ, dandum. Interim taceo curas, ambiendi curſitandiq; labores. Denique vt maxime vincam, plus tamẽ erit incommodi quam commodi. Quin potius nobis ipſis magis ſapimus ac conſulimus quam Harpyijs iſtis; & in hos male collocandam pecuniam inter nos partimur. Concede dimidium de tuo; ego tantumdem concedam de meo. Ita
&

& amicitiam nostram alioqui perituram, sartamtectam conseruabimus, & tãtas molestias effugiemus. Quod si recusas quidquam concedere, ego vel vniuersum negocium tuo permitto arbitratui. Malo penes amicum sit hæc pecunia, quam penes insatiabiles istos deglubitores. Abunde magnum fecero lucrum, si & famæ pepercero, & amicum seruaro, & tantum effugero molestiarum. Mouit aduersarium tum rei veritas, tum cognati festiuitas. Rem inter se transigunt, iratis Aduocatis & Iudicibus, quos veluti hiantes coruos deluserant. Vel horum igitur prudentiam Principes studeant imitari, & in re quidem multo periculosiori; neque solum spectent id quod volunt assequi, sed quanta bonorum iactura, quantis laboribus, quantis periculis, quantis calamitatibus sint assequuturi, vt vel maxime assequantur. Quod si ceu bilanci cui-

In bello non quid sed quomodo.

dam impoſitis atq; expenſis commodis atque incõmodis, compereris, multo potiorem eſſe pacem iniquã quã æquum bellum: cur mauis Martis aleam experiri? Quis enim, niſi demens, aureo piſcetur hamo? Si multo plus vides impendij quã lucri, etiamſi feliciter cadant omnia: nonne præſtat aliquid de tuo iure concedere, quam paullulum commodi tam innumeris mercari malis? Malo penes quemcumq; alium ſit titulus, ſi mihi tanta ſanguinis Chriſtiani iactura vindicandus eſt. Ille quiſquis eſt, multis iam annis poſſedit, aſſueuit habenis, agnoſcitur à ſuis, fungitur munere Principis: & exorietur aliquis qui Veteri quopiam titulo & Annalibus aut oblitteratis monumẽtis repetito, bene compoſitum rerum ſtatum ſurſum ac deorſum miſceat? Præſertim quum videamus, in rebus mortalium nihil diu conſiſtere, ſed ludibrio fortunæ, ve-

velut æstu quodam affluere ac defluere. Quorsum attinet tanto tumultu vindicare quod mox quolibet casu sit aliò demigraturum? Postremo si ista tam lenicula non possunt, vti debebant, contemnere Christiani: quorsum opus est protinus ad arma rapi? Tot habet Mundus Episcopos graues & cordatos, tot optimates grandæuos & longo rerum vsu sapientes, tot Concilia, tot senatorum Collegia, non frustra à maioribus instituta. Cur non potiùs horum arbitrio istiusmodi Principum queremoniæ & dissensiones componuntur.

Omnia experiri prius quã armis sapientem decet.

Illud deplorandum magis quam refellendum. Si quis exactius rem excutiat, reperiet omnia Christianorũ bella vel è Stultitia, vel malitia nasci. Nonnulli iuuenes & rerum imperiti malis exemplis, historiarum quas de stultis prodidere stulti, monumentis inflamma-

Christianorum bella vnde.

ti;dein instigantibus adulatorum hortatibus, exstimulantibus Iureconsultis, atque etiam Theologis, conniuentibus etiam Episcopis, temere magis quam malitiose bellum suscipiunt, & tanto cum totius orbis malo illud tantum consequuntur, vt discant, bellum rem esse modis omnibus fugiendam & detestandam. Alios occultum odium, alios ambitio, alios animi feritas ad bellum impellit. Quandoquidem ne nostra quidem Ilias quidquam aliud, vt ait Horatius, præterquam

Stultorum Regum & populorum continet æstus.

Sunt qui nullam aliam ob caussam bellum mouent, nisi vt hac via facilius in suos tyrannidem exerceant. Nam pacis temporibus senatus auctoritas, magistratuum dignitas, legum vigor nonnihil obstant quo minus liceat Principi quidquid libet. At bello suscepto, omnis

omnis rerum summa ad paucorum libidinem deuoluitur. Eueh untur quibus bene vult Princeps; deijciuntur quibus infensus est, exigitur pecuniæ quantum libet. Quid multis? Tum demum Principes sentiunt se Monarchas esse. Colludunt interim duces, donec infelicem populum vsque ad viuum arroserint. Hoc animo qui sunt, an eos putas grauatim arrepturos oblatam quamcumq; belli occasionem? Deinde morbum nostrum honestis titulis prætexímus. Inhio alienis opibus; & obtendo religionis defensionem: obsequor odio meo; & prætexo ius Ecclesiæ. Seruio ambitioni, sequor irã, rapit animus ferox & impotens; & ruptum fedus, violatam amicitiam, omissum nescio quid de sponsalium legibus, aut simile quidpiam caussor. Iam dictu mirum est, quam non assequantur hoc ipsum quod affectant: & dum stulti vitant hoc

Bellatorum ingenia.

aut

aut illud malum, in aliud, aut etiam idem multo grauius incidunt. Etenim si gloria ducuntur: non paullo magnificentius est seruare quam perdere, multo pulcrius exstruere ciuitatem quam demoliri. Deinde vt prosperrimo Marte res geratur, quantula gloriæ portio redit ad Principem? vnde magnam partem sibi vindicat populus, cuius pecuniis res confecta est; maiorem miles exterus (vt plerumque fit) & conductitius; nonnullam duces; maximam fortuna, quæ quum in omni negocio tum in bello valet plurimum. Si sublimitas animi stimulat ad bellum, vide, quæso, quam non recte tibi consulas ista ratione. Dum vni non vis cedere, puta vicino Principi, fortassis affini, forsan olim benemerito; quantò abiectius te supplicem facis, dum suppetias imploras barbarorum, & quod est indignius, omni facinorum genere contaminato-

Quæ gloria bello acquiratur.

rum

rum hominum; si modo hominum nomine digni sint? Dum eiusmodi monstris (per hos enim potissimum bellum geritur) polliceris, adularis, palparis? Et dum in æqualem ferocius esse studes, infimę mortalium fęci te ipsum cogeris submittere. Dumq; paras qualemcumque vicinum suis deijcere sedibus, pestilentissimam nebulonum colluuiem in tuas ædes admittas oportet. Non fidis affini: & armatæ multitudini credis teipsum. Quanto tutiorem reddere te poterat concordia! Si lucro traheris, calculos adhibe. Placeat bellum, nisi videris non æstimandis dispendijs compendium peti non solum longe minus, sed etiam plane incertum. At consulis Reipublicæ. Immò non alia via certius ac citius pessum eunt Respublicæ quam bello. Priusquam incipias, iam plus nocuisti patriæ quam sis profuturus auctor. Exhauris ciuium

Quæ utilitas.

um opes, luctu funestas domos, omnia latronibus, furibus, impudicis imples. Has enim reliquias parit bellum. Et quum ante licuisset vniuerso frui regno, à multis regionibus teipsum excludis. Si vere tuos annas, quin illa tibi veniunt in mentem? Cur ego hanc tam floridam iuuentutem omnibus malis obijciam? Cur tot matronas suis maritis, tot liberos suis orbabo parentibus? Cur titulum nescio quem, & anceps ius meorū afferam sanguine? Quammulti, ad instar canis Aesopici, dum alienis inhiant, sua amittunt? Itaque dum stulte vitamus foueam, vltro nos ipsos in foueam praecipitamus. Dū leuem iniuriam pati nō possumus, ipsi nos summis afficimus contumelijs. Dum libertatem impudenter affectamus, grauissimę seruituti nos implicamus. Dum pudet morigerum videri Principi, supplices reddimur infimis. Dum paul-

ed by Google

paullulum venamur lucri,damnis immensis nos ac nostros afficimus. Prudentia erat hæc secum expendere Christianos, si modo vere Christiani sint;& rem tam tartaream,tam alienam à vita & doctrina Christi,modis omnibus fugere,deprecari,propellere. Quod si vitari omnino non potest, ob multorum improbitatem; vbi nihil intentatum reliqueris, vbi pacis studio omnem moueris lapidem, proximum erit dare operam, vt mala res per malos geratur,& quam minimo dispendio humani sanguinis cõficiatur. Nam si damus operam vt re simus id quod audimus, hoc est,nihil admiremur,nihil ambiamus quod est huius Mundi;si tantum hoc agimus vt hinc quam maxime expediti euolemus; si tanto nisu rapimur ad cælestia;si felicitatis nostrę summam in vno Christo collocamus;si quidquid est vere bonum,vere splendidum, vere iu-

Per quos gerẽdũ bellum.

Christianorum considerationes quales esse debeant.

iucundum, in hoc vno situm esse credimus; si persuasum habemus hominem pium à nemine lędi posse, perpendimus quam inania sint, quã fugacia rerum humanarũ ludibria; si penitus intuemur quam r-dua res sit hominem quodammodo transformari in Deum, & hic meditatione quadam infatigabili ita repurgari ab huius Mundi contagijs, vt moxabiecto corporis exuuio, in angelorum commigret consortium; in summa, si præstamus hæc tria sine quibus nemo Christiani cognomé promeretur, Innocẽtiam, vt puri simus à vitijs, quantum humana natura patitur; Charitatem, vt bene mereamur, quantum fieri potest, de omnibus; Patientiam vt male facientes toleremus, & si licet, beneficijs iniuriam obruamus: quęso, quod bellum posit inter Christianos exsistere? Si Christum auctorem agnoscimus qui Charitas est, nihil docuit, nihil

tradidit nisi charitatem & pacem : agitedum , non titulis & insignibus,sed factis exprimamus hunc & vita. Amplectamur pacis studium , vt Christus agnoscat suos.In hoc Pontifices,in hoc Principes, in hoc ciuitates consilia sua conferant. Satis hactenus fusum Christiani sanguinis.Satis iucundū spectaculum exhibuimus Christiani nominis hostibus. Quod si more suo tumultuatur populus,à Principibus cohibeatur; quos hoc oportet esse in Republica,quod oculus est in corpore,& in anima ratio. Vel tandem satiati bellis tam diutinis,pacis tangamur desiderio!

Hæc quidem à viro disertissimo de Bello , vt re maxime stulta omniumq; pestilentissima non minus grauiter quā christiane scripta sunt : quæ vt hoc loco insereremus,temporum nostrorum suasit similitudo,quibus omnia intesti-

no atque exitiabili bello feruent. Non dubito, fore vt nonnullis res humanas pluris forte quam Christianum decet æstimantibus, tota hæc seu Dissertatio seu Parænesis, hac præsertim tempestate ridicula immò fatua ac Stulta videatur: sed viderint illi, ne pro stultis impij habeantur. De iure belli, An, quãdo, & quomodo Principi suscipiendum sit, alij disputarunt: quorum sententias cuique ponderandas relinquo. Nunc quæ ad Morosophiam nostram spectant, prosequamur.

Bella temere suscepta. Porro quam temere, quam stulte bella sæpe suscipiantur; plurimis tum sacrarum litterarum, tum profanarum historiarũ exemplis demonstrari potest. Nimirum hic verissimum est quod ille de rebus leuioribus dixit:

Alter rixatur de lana sæpe caprina.

Deijs vero qui de totis regnis ac prouincijs dimicationem suscipiunt,

piunt, minus mirum videri debet si vel vltima experiantur. Graue enim est regno excidere, tantoque grauius quanto quisque maiori est animo. His forte iusta caussa est: sed non i l s, *quibus vna & ea vetus caussa bellandi est; profunda cupido Imperij & Diuitiarum.* Sallust.

Nocendi namq; cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus & inplacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia, hac sunt qua in bellis iure culpantur. B. Augustinus. Illud tantum hoc loco monendum videtur, ne vel Principes vel qui Principum loco sunt, in re tam noxia, tam capitali (dabis hic mihi veniam, ô patrona, contra te peroranti) *Stultitiam* ducem sequantur: qui si hac ratione se tantum perditum irent, ignosci posset; nunc vero

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Quibus vero de caussis bellum

suf-

ſuſcipere liceat, immo oporteat, & Theologis & Iureconſultis, maxime Politicis diſceptandum relinquo. Illud tantum vt patronæ noſtræ & ipſi aliquo modo patrocinemur, addo, nõnulla bella temere ac ſtulte ſuſcepta felicem habuiſſe euentum. Quid enim, quæſo, eſt, in quo caſus plus poſsit? Notum eſt Prouerbium, *Panicus terror*. Exempla paſsim exſtant. Quũ Luna defectum paſſa eſſet temporibus Perſei Macedonum Regis, vulgo rumor increbuit, regis interitum ſignificari; eaq; res pariter & Romanis addidit animos, & Macedonas conſternauit. Vis aliud magis ridiculum? Arnolpho Imperatore Romam obſidente, forte fortuna ab ijs qui foſſas moliebantur lepus è cubili excitus & per caſtra diſcurſans, pleriſq;, vt fit, inſequentibus, ingentem tumultum excitauit. Eo conſternati qui in muris ex cubias agebant, rati corona

Ridiculi bellorum caſus:

na

na vrbem oppugnatum iri, ſubitò deſertis ſtationibus diffugere cœperũt. Quo animaduerſo, Imperatoris miles, omiſſo fugaci animalculo per muros, nemine reſiſtente, enixi, vrbem vnico aſſultu cepe-runt. Quid Fortuna, nunquid cæca, temeraria ac ſtulta fingitur? Atqui eam in bellis plurimùm poſſe, immò vtramque facere paginam non Sapientum modò dicta, verùm etiam infinita quaſi exempla teſtantur. Quid vanum magis ac varium Famâ? Atqui *Fama maximum vtique in bello momentum. Famâ bella conſtant: & ſæpè etiam quod falsò creditum eſt, veri vicem obtinuit.* Quid multis? Stultitiam aufer: Nemo bellum ſuſcipiet, nemo nec ducum nec militum geret. *Q. Curtius.*

CAPVT XV.

Stultitia vim magnam eſſe in gerendis Rebuſpublicis.

QVem ego meliorem magiſve idoneum Aduocatũ Stul-

titiæ adduxerim, quàm eum qui post mortales natos sapientissimus est habitus? At hic apertè: *Melior est*, inquit, *ad tempus Stultitia quam inepta Sapientia.* Nec veraciorem testem laudare possumus quàm ipsam experientiam. Euolue historias, quã multas Respublicas ab ijs euersas deprehendes, qui ad Cleanthis lucernam omnia inspicere, & Critolai statera omnia examinare ac ponderare voluerunt. Demosthenem & Ciceronem vide: quorum ille Atheniensium, hic Romanorum Rempublicam nimia vi eloquentiæ non semel & maximis periculis obiecit, & grauissimis turbis inuoluit. Quæ vnquam ex omni mulierum numero doctrina & Sapiẽtia cum Cornelia Caij ac Tiberij Grachorum matre fuit comparanda? qui à matre educati, omnibusque doctrinæ, Sapientiæ, & eloquentiæ studijs ita exculti fuerunt, vt, Caius

Nimia Sapientia Reipubl. noxia.

Vt Grachorum.

ius præcipuè, in concionibus velut alter quidam Iuppiter tonare, ac fulminare videretur. At vterque dum Agrariam legem perferre nituntur, id tantùm effecerunt, vt Rempublicam pęnè in extremum discrimen adduxerint, & infamem sibi mortem adsciuerint. Quis sapientior vtroque Catone? *Catones.* Atqui Maior ille modò hunc, modò illũ accusando, quantas, quamq́ue frequentes in Republica turbas concitauit! Minor verò, dum nimis rigidè populi libertatem tueri conatur, eam perdundi caussam dedit. Quocirca Seneca vir meritò inter Sapientes habendus, de Crasso quodam quem Claudius occidi iusserat, ait, *eum tam fatuum fuisse, vt etiam regnare posset.* Et *Seneca in Apotheosi.* alio in loco:

Abrupit stolidæ regalia tempora vitæ.

Ex quo eodẽ fonte prouerbium illud manauit: *Aut fatuum aut Regem nasci oportere.* Quid hæc aliud

indicant, quam etiam regalia ſceptra dominæ huic noſtræ deberi? Iam ſi verè ſcripſit Heſiodus: *Non omninò eſſe de nihilo quod populari ſermone celebratur*: foraſsis haud abs re fuerit, cum eodem illo doctiſsimo Chiliaſte inueſtigare, quæ res huic prouerbio dederit occaſionem, quod duo tam diſsimilia, regem nempè & fatuum ita coniungit, vt vtrumque alteri ſimilimum videri velit, præſertim quum hæc ſit peculiaris ſolaque verè regia laus, ſapientiâ, prudentiâ, vigilantiâ ceteros antecellere.

Priſcorũ Regum Stultitia. Conſentaneum eſt igitur, priſcos illos Reges magna ex parte inſigni Stultitia fuiſſe præditos: id quod partim è Poëtarum fabulis, partim ex Hiſtoriographorũ monumentis licet cognoſcere. *Agamẽnonis.* Agamemnonem certè ſuum Homerus, & hunc imitati Tragici, ambitioſum potiùs quàm cordatum faciunt. Quid autẽ ſtultiùs, quàm crude-

crudelissima vnicæ filiæ cæde Imperatoris mercari titulum? Quid ineptiùs, quàm pro barbara puella tã iuueniliter digladiari, vt quod suos amores retinere non posset, Achillem sua spoliaret amicula, nec id sanè sine summo totius exercitus discrimine? Tum autem quam ineptè stomachatur Achilles suis orbatus amoribus? quàm pueriliter eos deplorat apud matrem? At hunc nobis vnum Poëta, velut absolutum egregij Principis exemplar proposuit. Adhęc quàm non sapienter indignatur Aiax! quàm seniliter delirat Priamus, dum Helenam, prostitutæ pudicitiæ mulierculam amplectens, ac filiam appellans, negat se pœnitere belli, in quo tot clades acceperat, tot orbatus liberis, toties luctu funestatus, ne Paris non potiretur amica! Quid multis? tota Ilias, quã est longa, nihil alud quàm (vt eleganter scripsit Horatius:

Achillis.

Aiacis.

Stultorum Regum & populorum continet astus.

Quamquam & Odyssea suos habet Procos & Alcinoos crassos, & stupidos. Quin & Herculem ipsum robustum faciunt & animosum, sed hebetis crassique animi. Iam Hesiodus, quem nonnulli volunt antiquiorem esse Homero, Principes δωροφάγους & νηπίους, id est, *doniuoros & stultos appellat*: eò opinor, quod & parùm saperent in administranda Republica, & opibus per fas nefasque cumulandis inhiarent potiùs, quàm communibus fauerent populi commodis.

Mida. Cuiusmodi fingunt & Midam illum, ob animi stoliditatem, asininis auriculis insignitum. Et haud scio, an huc pertineat & illud, quod prisci Theologi, Poëtæ nimirum, Sapientiam Apollini attribuunt ac Palladi; Ioui deorum & hominum Monarchæ, fulmen duntaxat trisulcum, & nutum illum

lum ac supercilium, quo totum Olympum tremefacit, relinquũt. Alioqui quis nepos, quis Balatro vmquam nugatus est nugaciùs, aut nequiùs nequam fuit quam hic cui mundi regnum dederunt! Technis fallit vxorem, nunc cycnus, nunc taurus, nunc aurum factus; insidias struit mulierculis, subornat Ganymedes, ac cœlum nothis implet. Ad eundem modum Neptunum & Plutonẽ feroces & inexorabiles fingunt; neutri Sapientiam tribuunt: quorum tamen ille maris, hic inferorum Rex perhibebatur. Sed vt ad recentiores veniamus historias, & missas faciamus fabulas: quid tandem cordis fuisse credimus Crœso Lydorum regi (si modò talis fuit qualem depingit Herodotus) qui gemmis & auro congesto fidens Soloni indignabatur, Felicis cognomen ipsi tribuere dubitanti? Aut quid fingi stultius potest Xerxe, quum ad A-

Etiam Iouis.

Neptuni & Plutonis.

Regum, vt Crœsi.

Xerxis.

thon montem legatos mitteret, cumque contumeliosis ac minacissimis litteris territaret: quum Hellesponto certum numerum plagarum infligi iuberet. Neque verò minus regaliter desipuit Alexander ille Magnus, quum abdicato patre Iouis filius salutari gauderet, dum vini haustibus certaret, dum in conuiuijs vt Deum ab adulatoribus adorari se pateretur, dum queritur hunc orbem victorijs suis angustum esse, & Oceanum ingressus, alios quærit Mundos quos expugnet. Vt ne commemorem Dionysios, Ptolemæos, Iulios, Nerones, Tiberios, Caligulas, Elogabalos, Commodos, Domitios: quorum alius Dei nomen sibi vindicauit, quum esset hominis nomine indignus; alius se totum assentatoribus deridendum propinauit; alius ambitione præceps vniuersum orbem insanissimis tumultibus concussit. Sed ego iure

Alexãdri Magni.

R. m. Imperatorũ.

iure videar ineptus qui catalogũ eiusmodi contexam, & aquam, quod aiunt, quæram in mari. Quin omnes potiùs & veterum & neotericorum Annales euolue, nimirum ita comperies, vix sæculis aliquot vnnm aut alterum exstitisse Principem, qui non insigni Stultitia maximam perniciem inuexerit rebus humanis. Siquidem Princeps aut magno orbis totius malo stultus est, aut magno omniũ bono sapit: tametsi procliuius est lædere quàm prodesse, & citiùs serpit vel peruadit potiùs pernicies, quàm vtilitas. At nunc videmus nonnullos Principes quiduis expetere potiùs quàm id quod vnum Principis eos nomine dignos reddit: & stultam plebeculam omnia potiùs suspicere in regibus quã id quod solùm erat requirendum. *Iuuenis est.* Illo pacto commenda sponsum sponsæ, non Principem Reipublicæ. *Formosus est.* Rectè hoc nomi-

Omnium ferè.

Principis dotes non vera.

nomine laudetur fœmina. *Bonis est lacertis & viribus.* Probè dixisti, si laudes pugilem seu athletam. *Robustus est, & tolerans laborum.* Isto titulo colones ac lixæ commendentur. *Multũ auri congestum habet.* Feneratorem diligentem prædicas. *Facundus est.* Hîc admiror Sophistam. *Bellè canit, bellè saltat.* Histrionum ac tibicinum ista laus est, nõ Regum. *Inuictus est bibendo* (nam hac quoque laude nonnulli delectati sunt) aptè si spongiam mihi laudas. *Procerus est*, & humeris supereminet omnes. Commodum, si quid ex alto detrahendum sit. Iam illa, *scitè ludit alea, scitè latrunculis*, laus est cum infimis, etiam nebulonibus, cõmunis, & pudenda Principi. Omnia congeras, cultum, aurum, gemmas, imagines, ab Hercule deductũ genus, aut si mauis, à Codro, Cecropeve: nisi pectus mihi narras longè vulgi Stultitia semotum, liberũ à sordidis rerum vili-

vilium cupiditatibus à falsissimis multitudinis opinionibus; nō audio laudem Rege dignam. Neq; enim temerè diuinus ille Plato scripsit, nō aliter felices fore Respublicas, nisi aut Philosophis committeretur imperium, aut quibus imperium contigisset, philosophiam sequerentur. Porrò Philosophiam sequi nō est pallium ac peram circumferre, aut barbam demittere. Quid igitur? Ista quæ vulgus miratur contemnere, deq; rebus longè sequiùs sentire quàm hominum multitudo sentit. Nec video quî fieri posit, vt qui putet sibi licere quidquid libet, qui diuitias vt magnum quid admiretur, qui pro imperio quoduis etiā iusiurādum violandū putet, qui inani rapiatur gloria, qui pudendæ seruiat libidini, qui mortē vehemēter horreat, salutarē Principē agere posit. Ac primū quidem est, rectè de singulis iudicare; propterea quod infectis

Vera Principis dotes.

opinionibus ceu fontibus, vnde omnes vitæ ſcatent actiones, omnia perperam gerantur oportet. Proximum eſt, vt Princeps abhorreat à turpibus, feratur ad honeſta. Nam vera ſapientia non ſolùm complectitur veri cognitionem, verùm etiam ſtudium & amorem honeſti. Siquidem liceat fortaſsis inuenire aliquem qui perſpiciat ſine graui rerum humanarum pernicie ſuſcipi non poſſe, nec eſſe tanti veterem aliquem & obſoletum ditionis titulum: verùm impellit ambitio vt omnia armis miſceat. Et eſt fortaſsis qui videat, hinc maximam Reipublicæ peſtem naſci, quod ad gerendos magiſtratus adſciſcuntur non qui prudentia, rerum vſu, vitæ integritate plurimùm prodeſſe Reipublicæ poſſunt, ſed qui maxima pecuniæ ſumma licitētur: Verùm huc pertrahit auaritia, vt neglecto publico malo, fiſci negotium agat. Et

Nō noſſe tantùm bona, ſed & velle.

non

non deest qui intelligat, Principis esse munus, sicut ab omnibus accipit vectigal, ita omnium consulere rebus, præsidere in iudicijs, excludere maleficia, obseruare magistratus, corrigere inutiles: verùm ab hoc studio auocant voluptates, per quas non ocium curis Principe dignis vacare. Est qui sentiat se plurimùm prodesse posse rebus mortalium, verùm non sine vitæ discrimine: hic deseret Rempublicam, quisquis existimabit, infelicissimum esse mori. Proindè primum omnium Principis animus omnibus erroribus, quoad fieri potest, liberandus est, vt perspiciat quid verè honestum, quid verè magnificum, quid verè gloriosum sit. Deinde instillandum turpitudinis odium & amor honesti, quo videlicet perspiciat, quid Principem deceat; & nihil appetat nisi quod sit bono ac salutari Principe dignum; vt honestum vbi sit videat,

Et honesto omnia metiri.

deat, & hoc vno metiatur omnia, nec vnquã ab hoc aberret ſcopo. Atq; hęc eſt illa Sapientia, qua neceſſe eſt vt Princeps tantò cæteros antecellat mortales, quantò dignitate, opibus, ornatu, potentiaque antecedit. Atq; vtinam ſaltem Chriſtiani Principes omnes ſapiẽtiſsimũ illum regem imitentur cui cùm daretur optio, quidquid vellet petendi atq; impetrandi ab eo qui nihil non præſtare poterat, nihil aliud optauit, quã Sapientiam, & eam quidẽ Sapientiam quâ populum ſibi cõmiſſum rectè gubernaret. Atq; idem quid aliud inculcat ſuo filio, quàm amorem ac ſtudium Sapientiæ? Eodem ſpectat, quod Aegyptij ſimulacrum Principis ita repræſentabãt, vt oculum pingerent cum ſceptro. Nimirum quòd oculus in corpore, id verus Princeps eſt in Repub. quod Sol in cœlo, id Princeps in populo. Sol oculus Mundi, Princeps multitudinis.

nis. Quod animus hominis in corpore, id Princeps in Ciuitate. Animus sapit & intelligit; corpus obtéperat: & imperat quidé animus corpori, sed ad corporis bonũ, nec sibi gerit regnũ velut tyrãnus, sed ei cui præest. Deniq; Dei vniuersa moderãtis salutaris Princeps vnicã imaginem præfert: atq; eò magnificentior est Princeps quò propiùs ad archetypi sui formã accedit. Deus nihil non perspicit, nihil nõ sẽtit, nullis corrũpitur affectibus. Ita potentissimus est vt idẽ sit optimus. Omnibus benefacit, etiã indignis. Nõ punit nisi rarò ac tardè, idq; coactus. Nobis administrat hũc Mundũ, non sibi. Hoc illi præmij loco est si profuit. Contrà qui pestilẽs est Princeps, is cacodęmonis simulacrum gerere vicemque obire videtur. Aut non sapuit; aut si sapit, in publicam perniciem sapit. Quod habet potentiæ in Reipublicæ pestem abutitur.

Non tyrannicè imperare.

Bonus Princeps Deo quodãmodo similis.

Et

Et quum plurimùm noceat omnibus, plus tamen vult nocere quàm posſit. Nihil eſt bono rege præclarius, nihil melius, nihil Deo propius: rurſus nihil malo Principe fœdius, nihil peius, nihil cacodæmoni ſimilius. Numen quoddam eſt Princeps ſalutaris. At nulla bellua nocentior tyranno. Tyrannus autem eſt quiſquis ſibi tantùm gerit imperium, qui non Reipublicæ, ſed ſuas vtilitates ac voluptates ſpectat. Non eſt noſtrum de ſummis proceribus pronunciare veluti: ſed tamen cogimur, non ſine ſuſpirijs, hanc quam dixi ſapientiam in Chriſtianis Principibus deſiderare. Alioquin vnde tot rerum nouationes, tot, toties icta & reſciſſa fœdera, tam crebri tumultus, tot minæ, tot diſsidia, tot pugnæ, tot ſtrages, niſi à Stultitia proficiſcuntur? Et haud ſcio an nonnulla huius mali cauſa in nobis ipſis. Clauum nauis non committimus

Magno ſtudio deligendus.

timus nisi eius perito, quum tamẽ sæpè paucorum tantùm vectorum aut exiguarum mercium sit periculum: & Rempublicam, in qua tot hominum millia periclitantur, cuiuis committimus. Vt auriga fiat aliquis discit artem, exercet, meditatur: at vt Princeps sit aliquis, satis putamus, Natum esse. Atqui rectè gerere Principatum vt est munus longè omnium pulcherrimum, ita est etiam multò omnium difficillimum. Deligis cui nauim committas, non deligis cui tot vrbes, tot hominum capita cõcredas. Sed esto receptius quàm vt cõuelli posſit. Nascuntur Principes, & cuicumque sors fauerit, siue probus sit ille siue improbus, siue stultus siue sapiens, siue sanus siue emotę mẽtis, modò figurã habeat hominis, ei summa rerũ credenda est. Huius arbitrio Mundus bellis & cædibus miscebitur, sacra ac profana omnia miscebuntur.

tur. Verùmenimuerò ea res si minimè mutari poteſt, proximũ tamen erat diligẽti inſtitutione ſuccurrere: & ſi nõ licet idoneũ imperio deligere, enitẽdum eſt vt idoneũ imperio faciamus eum quemcunq; nobis fortuna dedit. Videmus qua ſollicitudine, qua cura, qua vigilantia paterfamilias educat puerũ vnius fundi dominum futurum. Quãtò igitur maiori cura inſtituendus eſt is qui vel magno omniũ bono futurus ſit bonus, aut magno omniũ exitio, malus, & de cuius vnius nutu ſalus aut pernicies pẽdebit orbis? Quibus decretis, quibus Philoſophiæ præceptis hoc pectus erit prœmuniendũ, non ſolùm aduerſus tãtas rerum tẽpeſtates quæ ſolẽt in ciuitatibus exoriri; verùm etiã aduerſus Fortunæ indulgentiam, quã Indulgentia & Stultitia ſolent comitari; aduerſus delicias, quibus vel optima ingenia corrũpi poſsũt; multò maximè

Certè educãdus.

verò

verò aduersus adulatorum pestiferas assētationes, & illud venenatissimum, *Euge*, quod illi tum occinunt maximè cùm Princeps insanit maximè. Hîc iã infantulo adhibēdus erat artifex quispiã egregius. Nõ enim rectè fingitur Princeps nisi cùm se nondum intelligit esse principem. Statim, inquam, adsciscēdus formator. In quo deligendo & hoc cõuenit esse diligentiores, quod Principē eligere non licet, instituere licet. Hîc in pectusculũ adhuc vacuũ & sequax instillet opiniones Principe dignas, muniat idē optimis de honesto decretis, ostēdat discrimen veri Principis & tyranni: subijciat oculis, quã Deo propinqua res sit, salutaris Princeps; quam tetra bellua quamque abominanda tyrannus: admoneat eum qui sibi nõ Reipub. gerit Imperiũ, prædonē esse, nõ Principem; nihil interesse inter piratas & Principes piratarũ animo prẹditos, *Quibus præceptis instruendus.*
nisi

nisi quod hi quò sunt potentiores, hoc maiorem adferunt perniciem rebus humanis: inculcet, quàm multis hominum millibus, immò quàm vniuerso Mundo prodesse queat, si is vnum sapientem ac bonum præstiterit virum; doceat, apud Christianos nihil aliud esse Imperium, quàm rei publicæ administrationem, non dominium: imperium quidem appellari, sed meminerit, se imperaturum & liberis & Christianis, hoc est bis liberis: ad hoc vt Princeps sit aliquis, non satis esse, natum fuisse, non satis esse vetustas imagines, non sceptrum, non diadema. Animus Sapientiâ præcellens, animus pro publica incolumitate semper sollicitus, & nihil spectans nisi commune bonum, Principem facit. Præmoneat, ne sese vel applausu stultæ plebeculæ, vel adulatorum laudibus metiatur. Ne quid agat impulsu odij, amoris, iræ, aut vlli-

vllius affectus instinctu. In creandis magistratibus, in condendis legibus, in ceteris munijs vnicum tantùm spectet scopum, nempè honestum, & publicã vtilitatem. Non satis esse si ipse nemini faciat iniuriam: Officialium quoque integritatem præstandam esse Principi. Non esse sitam in hoc Principis laudem, si ditionis terminos proferat, si finitimos submoueat armis, verùm si quam forte nactus est ditionem, iustititia, frugalitate, cæterisque pacis artibus efficiat florentiorem. Doceat vt ad benè merendum de bonis sit promptissimus, ad ignoscendum facilis, ad puniendum non aliter accedat quàm amicus Medicus membrum deploratum amputaturus, aut inusturus: vt omnia studiosè vitet vndè perspiciat Reipublicæ magnũ malum euenturum. Super omnia verò bellum modis omnibus declinet; quòd alijs è rebus alia atque

alia

alia mala nascuntur; at bellum vniuersum malorum agmen simul atque semel effundit. Hæcatque huiusmodi decreta sũt animo pueruli Sapientum Apophthegmatis & laudatorum Principum exemplis infigẽda. At nũc videmus, vix vllos homines educari vel corruptiùs vel indulgẽtiùs ijs quos tanti refert omnium quàm optimè institutos fuisse. Infans toti orbi quasi imperaturus, stultissimis mulierculis cõmittitur, quæ adeò nihil instillant in animum illius Principe dignum, vt etiam si quid rectè moneat Præceptor, aut si suapte natura ad mansuetudinem videatur propensior, dehortentur, & Principem, hoc est, tyrannum agere doceant. Denique nemo non blanditur, nemo non assentatur. Applaudunt proceres, obsecundant ministri, adulatur etiam Præceptor, non hoc agens vt patriæ reddat

At peccatur hodie hic largiter.

reddat ſalutarem Principem, ſed vt ſibi magnificam paret fortunam. Adulatur & Theologus, Epiſcopatum aliquem aucupans. Aſſentantur magiſtratus, aſſentantur qui colludunt, qui conuiuunt, vt rectiſsimè dixerit Carneades, à Regibus nullam artem rectè diſci niſi equitandi; propterea quod ſolus equus, quoniam non ſentit Principis ac plebeij ſeſſoris diſcrimen, neſcit adulari, ſed excutit quicumque is fuerit, qui non aptè nôrit inſidere tergo. Statim docetur faſtum, docetur arrogantiam; admonetur, licere quidquid libet; audit; omnes omnium poſſeſsiones eſſe Principis: Principem ſuperiorem eſſe legibus; in pectore Principis omnem legum & conſiliorum vim eſſe recôditam. Audit *Sacras Maieſtates*, *Serenitates*, *Diuinitates*, terreſtre Numē, & infinitos

alios

alios id genus aulicos titulos, vel potiùs Solœcismos. In summa, dum adhuc puer, nihil aliud discit ludere quàm tyrannidem. Mox rapitur ad puellas: inuitant, laudant, seruiunt omnes: Hîc adest æqualium turba effeminatissima: nullus sermo, nullus risus nisi de puellis. Sub hæc alea, choreæ, conuiuia, citharæ discursus. In his optima pars ætatis cõteritur. Quòd si quando libeat litteris oblectare ocium, leguntur aniles fabulæ, aut his perniciosiores historiæ. Ex his animus nullo præmunitus antidoto, imbibit admirationem & zelum seu imitandi studium alicuius pestilentissimi ducis, seu veris historijs seu fabulis adumbrati. Atqui in his ipsis ea placent maximè quæ pessima sunt. Ab his dementes impetus, ab his pessima exempla sumunt. Pone nunc, si placet, ingenium non delectum è multis quod oportuit, sed qualecumque conti-

contigit. Pone tam corruptam educationem, quæ vel Ariſtidis ingenium poſſet corrumpere. Pone tot adulationis venena, tot delicias quibus malè conuenit cum ſapiẽtia. Pone voluptates, pone fortunæ ſplendorem, pone poteſtatem, pone ætatem ferocem, & ſuapte ſponte ad peſsima procliuem. Super omnia, pone pectus falſiſſimis infectum opinionibus. Et miraris, ſi quis ab his profectus rudimentis ad gerendam Rempublicam, parum ſapienter eam adminiſtrat? Sed iuuenis eſt, inquiũt; ſapiet aliquando cum rerum vſu. At Principem non oportet eſſe iuuenem, etiamſi iuuenis fuerit. Et quum miſera eſt omnis prudẽtia, quæ rerum vſu colligitur; tum in Principe miſerrima eſt. Nimio cõſtabit Reipublicæ Principis ſui prudentia, ſi gerendo bello diſcet, bellum rem eſſe modis omnibus fugiendam; ſi non prius intelli-

gat, magistratus integris viris esse committendos, quam improborum temeritate Rempublicam labefactatam conspexerit. Nec est committendum, vt sicut qui discunt cithara canere, prius quam artem assequantur, citharas aliquot prius obterunt ac perdunt, quemadmodum scribit Xenophõ; ita Princeps cum Reipublicæ pernicie discat Rempublicam administrare. Non mirũ igitur, si quando videmus euenire vt præpostere res geratur: nimirum, vt quũ affectus è corpore orti, ab animo coerceri debeát, ab animo perturbationes proficiscantur in corpus, vt oculus minus prospiciat quam reliquũ corpus, vtq; omnib. noxius sit ac pestilens, qui, Dei vicem gerens, omnibus debet esse salutaris. Annon videmus egregia oppida à populo cõdi, Principis stultitia subuerti? Rempubl. ciuium industria ditescere, Principum rapaci-

Minusq; prospere que res geri.

pacitate spoliari? Bonas leges ferri à plebeiis magistratibus, à Principibus violari? Populum studere paci; Principes excitare bellum? Et hæc quidem forte sunt, quæ Adagio illi quod supra retulimus, *Aut fatuum aut Regem nasci oportere*, occasionem dederunt: quod scilicet huiusmodi olim fuerint plerique barbarorum reges: quorum vtinam nostræ tempestatis Principes sint dissimilimi! Fatuis quidem ob mentis inopiam, omnia cõdonãtur; & regibus ob potẽtiã quoq; omnia laudi tribuuntur.

Quamuis, vt nostra ipsorummet vineta cędere cessemus, idem prouerbium cum illo ipso qui superiora disserit, magis honorifica dominæ Stultitiæ, magisque argumento huius libelli conueniẽti interpretatione exponere possimus de pari Regum ac Fatuorum felicitate; quod Regibus quidquid volunt, Fortuna suppeditet; *Regum & Fatuorum fortuna par.*

I 2 Fatui

Fatui verò non minus felices sint sua philautia, per quam nihil sibi putant bonarum rerum deesse. Sophocles certe in Aiace mastigophoro, sub persona Aiacis sic ait:

Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος.

Τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ' ἀνώδυνον κακόν.

id est:

Nil sapere quippe, vita iucundissima est.

Nil sapere, prorsus est bonum carens malo.

Exemplo sit Argiuus ille apud Horatium, qui felicius existimabat insanire quam sapere & ringi. De quo dictus poeta:

——Fuit haud ignobilis Argis
Qui se credebat miros audire Tragœdos, (atro:
In vacuo latus sessor plausorq́; theatro:
Cætera qui vitæ seruaret munia recto
More;

More; bonus sane vicinus, amabilis hospes.

Comis in vxorem: posset qui ignoscere seruis,

Et signo laeso, non insanire, lagena.

Cui concinit illud Ecclesiastę dictum: *In multa sapientia multa indignatio.* Et: *Qui addit scientiam, adijciet & laborem.* Heraclides Ponticus apud Athenæum auctor est, Thrasylaum Axonensem Pythodori filium, hoc insaniæ genere correptum fuisse, vt existimaret, naues omnes quæ in Piræeum appellerent, suas esse: quas appellentes summa cum voluptate recipiebat, soluentes dimittebat, ac faustis prosequebatur ominibus, oculisque quantum poterat, prospiciebat; in summa, felix erat, quasi tantarum opum dominus. Si quid perijsset, non requirebat; si quid esset incolume, vehementer gaudebat, apud alios fortunam suam & opulentiam iactitans; do- *Ælianus & Athenæus.*

nec Crito frater ipsius è Sicilia reuersus, correptũ hominẽ traderet Medico: à quo sanatus, & ad se reuersus, negauit vmquam sese suauius vixisse quam quum eo mentis errore teneretur; siquidem quũ tantum adesset voluptatum, nihil vmquam sensisset molestiæ. Sed quid ego voluptates commemoro, quas priuatis adfert Stultitia? Quin potius illas delibamus vtilitates quæ ad Respublicas inde redeunt? In prouerbium abiit *Incõsulta Atheniensium temeritas:* quæ tamen fere semper bene illis cessit, ipsa Minerua stultè consultis suffragante, & in bonum vertente. Quis credat, ipsam sapientiæ præsidem non modo locum Stultitiæ relinquere, verumetiam fauere ac suffragari? Hinc Aristophanes de suæ ciuitatis ducibus:

Fortuna Stultitia comes.

Est sermo quidã, ductus à maioribus;
Fatua licet statuamus ac vecordia,
In melius omnia tamen cedere prospere.

Et

Et qui talis vulgari apud nos prouerbio iactatur: *Fortunatior quam sapientior. Nec fortunato Sapientia opus esse.* Numquid in prouerbium abiit, Fato Metellos Romæ fieri Consules? Nos quidem vt Platonis illam supra quoque à nobis citatam & laudatam vocem, *Tum demum beatas fore Respublicas, si aut Reges philosopharentur, aut Philosophi regnarent*, non improbamus; ita etiam philosophandi rationem hic intelligendam censemus, non quæ in verborum subtilitatibus, aut inutilium quæstionum disquisitionibus, sed quæ in humanarum actionum eorumque quę ad communem vitæ societatem spectant, obseruationibus consistit. Porro quum in his ipsis tam multa peruerse ac stulte fiant; quî fieri potest vt Reipublicæ rectores non etiam aliquando cum insanientibus insaniant, & cum mœris mœrentur? Vt enim clauus clauo, ita

Quæ Philosophia Rerumpub. rectoribus necessaria.

fatuitas sæpe fatuitate pellitur. Ludouico XI. Gallorum regi de bello Venetis inferendo deliberanti, quidam negocij difficultatem proponēs, dixerat, Rempubl. illā à multis sapiētissimis senibus administrari; eoque non facile cōtra tales bellum suscipiendum. Ibi Ludouicus, habeant illi, inquit, senes suos sapientes; ego vero tot stultos adolescentes cum eis committam, vt quo se vertant nescituri, parumque in sua sapientia præsidij habituri sint. Quis à prudentia ac rerum gestarum magnitudine laudatior Princeps Cosmo Medice, eo qui primus familiam suam ad regium pæne fastigium euexit? Is tamen dicere solebat, *Imperium Paternostris non administrari*: nihil aliud intelligens, quā nimium, aut si nimium esse non possit, inane pietatis ac Sapientię studiū. Magnus fuit Philosophus *M. Aurelius Imperatoris.* M. Aurelius Imperator; omni tamen

men sua sapientia (vt de Republica nihil dicam, quæ tum fato quodam innitebatur) nec familiam ita regere poterat, quin & domestico vxoris opprobrio macularetur; & sinistra Commodi filij educatione totam Rempublicam, in extremum coniiceret discrimen. In quo si in vllo alio, illud verum apparuit, *Heroum filios noxas esse*: &, vt Demosthenes dixit, Fato quodam fieri, vt à viris egregiis improbi generentur filij. Possit hic alicui in mentem venire, id eò fieri, quod Natura eatenus consultum velit rebus humanis, ne eorum qui tætrica sua Sapientia & rigida virtute, sibi & aliis importuni, Mundum cruciãt, numerus perpetua quadam propagine in infinitum propagetur. Quocirca minus mirum videri debet Nursinorum institutum, qui ne Respublica eiusmodi hominibus committatur, quoties de cre- *Nursinorum institutum.*

andis magistratibus agitur, publica præconis voce litteratos summouent. Certe nos quoque præclaram Rempublicam nouimus, in qua aiunt maiorum scito cautum fuisse, ne ij qui gradum aliquem in Iurisprudentiæ studio consequuti fuissent, in Senatum cooptarentur: quod tamen institutum, fortè non sine ratione, hodie obsoletum est. Et sane quis nescit, hodie vix apud vllam gentem Ius ac Iustitiam maiori integritate administrari quam apud Heluetios? apud quos rari docti Senatores; multo rariores docti Iurisconsulti. Et sane ita est: iniustum est omne Ius cuius fundamenta in Naturali Iure non sunt posita: quod tamen ipsum Natura omnium animis inseuit. Ipsam specta experientiam, nullos passim inuisos magis atque odiosos videbis, quam qui nimirum sapere volunt in Republica, aut qui nimis

Etiam Sapientia perdidit nõnullos.

nimis rigideRempublicam administrant. Quid aliud Aristidem, cognomento Iustum, ostracismo percussit & Athenis pepulit, quã nimius Iustitię ac Sapientiæ rigor? Ille ipse qui Apollinis oraculo, sapientissimus iudicatus fuit, quam aliam ob causam cicutam bibere adactus fuit, quam quod supra vulgus sapere, ac nouas religiones introducere velle videretur? Quã multa etiam nostri sæculi habemus exempla eorum, quibus maior quædam vis Sapientiæ primũ aditũ ad Principes patefecit, deinde animos inflauit, stimulosq; ad ea quæ nefas erat, agenda subdidit, ac tandem triste exitium conciliauit? Quanto melius his erat latere, quam illustri rerum humanarum inconstantiæ omnibus aliis esse documento? Sed vela complico: Stultitiæ ita patrocinatus, vt cum Sapientia miscendam, &

neutiquam quidem ſtulte, nec tamen nimis ſapienter Reſpublicas regendas cenſeam.

CAPVT XVI.

Stultitiam commodiſſimum eſſe tam conſeruandæ quam recuperandæ Libertatis remedium.

Libertas quã pretioſa.

ADEO res inæſtimabilis eſt Libertas, vt etiam pecunia lui nõ poſſit, Vlpiano teſte, *ff.*40. *tit. de ſtatu lib. c.* 9. & Paulo *tit. de diuerſ. reg. iur.* & Caio, *eodem tit.* Nec ab his diſſentiunt Poetæ. Sic enim Euripides:

Nam liberum eſſe, maximum dico bonum.
Quod ſi quis eſt pauper, putet tamen ſe diuitem.

Et Plautus: *Omnes profectò liberi libentius ſumus quam ſeruimus.* Nec homines tantum, verum etiã bruta

bruta animantia. Quidam auctores sunt, Hirundinem captam plus vno die in cauea superesse nō posse. Et Scopelianus Sophista, Clazomeniis obsecrantibus vt apud ipsos litteras profiteretur, negauit *in cauea bene canere Lusciniam.* Quocirca minus mirus videri debet in hominibus libertatis amor; quam multi etiam vitæ iacturâ bene redimi censuerunt. Ecquis vel hodie est paullo erectioris animi, qui non vitam potius sibi quam Libertatem in discrimen vocari malit? Quid verò Romanos à grauissima Tarquiniorum seruitute liberauit, & in libertatē restituit? Nūquid Iunij Bruti stultitia? de quo Poeta:

Ea Bruti stultitia Romanis acquisita.

Brutus erat Stulti sapiens simulator, vt esset
Tutus ab insidiis, nonne superbe, tuis?

Quid Romanum eumdem populum, factâ à Patribus secessione,

ad officium reuocauit, sicq; Rempublicam à manifesto int(ritu cõseruauit. Quam pueri lis illa ac ridicula pænè Menenij Agrippæ de ventris & membrorum dissidio Fabula: quum ante eodem in conatu vniuersus ille grâuissimorũ hominum ordo omnem suam sapientiam atque eloquentiam frustra consumsisset? Quid Themistocles? Nonne & ipse non minus puerili fabula de Echino & Vulpe, Rempublicam suã plurimũ adiuuit? Galuinus Vicecomes, Mediolanensi vrbe, patria sua, à Friderico Barbarossa Imperatore subacta, ac tantum non euersa; more amentis discurrens, & fatuis clamoribus omnia implens, ciues omnes vnum in locum coegit: qui mox coniunctis viribus Germanorum copias profligarunt, patriamque seruitute liberârunt. Sertorius Romanus ciuis apto quidẽ, sed vulgari exemplo caudæ equi-

Fabulis conseruata.

næ pilis nudatæ, totum ſuum exercitum animis ac ſpe impleuit. Quid Numæ Pompilij decretis ac inſtitutis fidem atque auctoritatem conciliauit, quam ſimulata cum Aegeria nympha conſuetudo? Quid eiuſdem Sertorij exercitum contra omnia pericula ac labores, quibus cum duce ſuo tādiu ac tā contumaciter perfuncti ſunt, animauit, quam candida illa Cerua, quā diuinitus ſibi miſsā ad ſuggerēda conſilia ſimulabat? Sed nihil mirabilius quam Mahometi hiſtoria; qui anilibus ac ſtultis ſuis perſuaſionibus tot tantoſque populos dementauit, imperiumque ſibi ac ſuis ſucceſſoribus ad cætera regna pæne incomparabile peperit, & ad hanc quam videmus hodie & miramur, immò ſtupemus, magnitudinem perduxit. Cuius rei cauſſam ſi perquiras, vix profecto aliam reperies, quam quod homines natura ita aman-

Stultarū perſuaſionū vis.

Mahometi regnum.

amantes stultitiæ sunt, vt puerilibus & ludicris potius fabulis atq; imposturis duci, quam æquis & iustis legibus regi se patiantur. Plerique enim omnes eas sequuntur voluptates, quæ sensus permulcent; ab iis vero rebus, quæ iisdem minus gratæ sunt, abhorrent.

Dauidis simulata stultitia.

Porrò quam efficax tuendæ Libertatis remedium sit Stultitia, vel vnum è sacris peritum libris testatur exemplum. Dauid enim Saulis iram seu inuidiam fugiens, & Achin regem, ceteroqui populi Israelitici hostem diuertens, hac vna ratione salutem suam in tuto se collocare ratus est, si Stultum se atque amentem fingeret: nec misericordiam modo ac gratiam inuenit, verum etiam magnis beneficiis ab eodem fuit affectus, & præcipuo in honore habitus. Audacter dicam: præclara illa & optimis legibus instituta Heluetiorum

rum Respublica libertatem suam nemini debet nisi Stultitiæ Præfectorum: quorum dum alius pileo è pertica in triuio suspenso à prætereuntibus honorem exhiberi vult; alius patrem è pueri capite pomum telo ex arcu emisso iubet decutere; alius stulta inductus libidine, cum rusticani hominis vxore eodem vtitur balneo: hominibus simplici quidem, sed iniuriarum, præsertim cum contumelia coniunctarum impatiente ingenio, coniurandi & in libertatem sese vindicandi ansam præbuerũt. Possem & alia hic commemorare exempla: sed reuoco stylum, ne dum nimis libere scribo, & ipse Stultitiæ hoc debere existimer.

Heluetica libertatis origo.

CAPVT

CAPVT XVII.

Stultitiam Honoris ac Gloriæ esse instrumentum.

Tusc. Quæst.

VERE Cicero: *Nullus est tam abiectus, qui dulcedine gloriæ non tangatur.* Et idem alibi: *Honos alit artes: omnesq́ incendimur ad studia gloriâ.* Quis enim putet egregios illos heroas vel olim vel hodie quoque tanta pericula adituros, tantosq́ue labores suscepturos, nisi animo prouidissent, rerum à se gestarum gloriá ad posteros quoque peruenturam? Ocij quippe ac quietis amor ita innatus est hominibus, vt, nisi Mens, diuinæ illa particula auræ, longius prospiceret, tumq́ue demum se victuram putaret quum viuere desierit, nihil omnino nisi quod in præsens vel vtilitatem vel voluptatem quamdam afferret, moliturí vmquam fuerint. At iam, quid non patrarunt olim, quid non patrant hodie

Gloria vis.

hodie mortales, vt tam viui quam mortui immortalem nominis celebritatem consequantur? Enimvero virtutis merces est gloria, & dulce periculorum præmium. Sed quid ad hanc stimulos addit? Stultitia certè; quæ præ desiderio laudis, etiam vitæ obliuiscitur. Quid Q. illum Curtium in voraginem præcipitauit? Dices, gloriæ studium, vel patriæ amor; sed verius stultitia. Annon enim alij Sapientes & cordati tum Romæ? Quid Decios, quid Fabios obiecit hostibus, vt eis aditum corporibus suis obstruxerint? Insana quędam gloriæ cupiditas. Quid Empedoclē, quid Plinium impulit, illum vt Aetnæ, hunc vt Vesuuij montis incendiis vltro se obiicerent, nisi stulta quædam res abstrusas indagandi libido, vt quæ alij nesciebant, scire viderentur? Etiam Sapientum iudicio Romuli illi nepotes, Milo, Cæsar, alijque stultè fece-

eaque à Stultitia

fecerunt, quod in theatra, ludos, aliaque populi delinimenta omnes fere facultates profuderunt, ita vt salua Republica, salui esse nō possent. Atque ex his ipsis nonnemo hac ratione & immortalem nominis laudem, & summos honores, adeoque summum imperium cōsequutus est. Quis non, vt leuissime dicam, imprudentem putet fuisse Alexandrum Magnum, qui per murum enixus, in ipsos hostes insiliens, certissimæ morti se obiecerat, nisi iam pugna fessus suorum aduentu fuisset ereptus? Quid eumdem cum leone commisit, quam Stultitia, præter rationem animum ad tam ardua, adeoque supra hominis vires posita addēs? Quid de Iulio Cæsare dicemus? qui in Aegypto, hostibus persequentibus, in maximum flumen se coniecit, & sola sinistra remigans, dextra interim litteras supra aquam, ne madefierent, exstan-

Exemplo Alexandri Magni.

Iulij Cæsaris.

ſtantes tenens, ſummo cum periculo & labore tranauit. Temerarium hoc: at illud longe magis, quum victor à Pharſalica pugna rediens, atque vna tantum naui Helleſpontum traiiciens, L. Caſsium Pompeianarum partium ducem, cum decem nauibus obuium non modo inſequutus eſt, ſed etiam dedere ſe iuſsit? Numquid temerarius, id eſt, ſtultus fuit Mutij Scæuolæ ad Porſenam interficiendum vrbe egreſsi conatus? numquid ſtultius eiuſdem de ſuaipſius dextra ſupplicium? Vtrumque tamen ab hiſtoricis ad ſummam laudem æternis conſignatũ eſt litterarum monumentis. An non ſtultum eum exiſtimes, qui ſolus integro exercitui opponere ſe auſit? Fecit hoc Horatius Cocles; qui ſolus (vt Petrarcha canit,) vniuerſæ Hetruriæ armis ſeſe obiecit. Quid miſerum illum & merito ſepulta nominis memoria

Mutij Scæuolæ.

Horatij Coclitis.

ria inglorium impulit, vt Ephesinæ Dianæ templum incenderit, & vnum è septem Mundi miraculis aboleuerit? Stulta scilicet & præpostera nominis aucupandi & ad posteros propagandi cupiditas: qua tamen merito, vt diximus, frustratus est, quamuis facti memoria adhuc exstet. Sed Deum immortalem! quam atrocia, quam incredibilia ac nefanda paricidia nostro sæculo ab hominibus stulta, immo dementi ac furiosa vel religionis vel gloriæ persuasione inductis patrata sunt? Sed minime consultum est, cicatrices male obductas & adhuc sanguine stillantes refricare. Absit vero vt furiosis his in nostræ Morosophiæ regno locum demus: quos potius infra omnes inferos ac Plutonias domus amandandas censemus. Illos quidem lubenter nostram in ciuitatē adscribimus, qui dies noctesque ingenia sua no-
uis

uis inueniendis friuolis artibus aut ſubtilitatibus fatigāt, iis præſertim vnde nulla ſpes lucri, ſed tantum quædam inanis ferè laudis aura. At quorum cura magnis ac præclaris rebus occupatur, quique non ſibi ſolum, ſed poſteris etiam, poſthabita rei familiaris cura, prodeſſe conantur, eos ſupra ceterorum mortalium genus ad immortalitatem efferendos exiſtimamus.

CAPVT XVIII.

Stultitiam optimum eſſe miſeriarum huius vitæ condimentum.

PLERIQVE ex Philoſophis nō Græcis modo & Latinis, ſed etiam barbaris, facta inter hominum & brutorum animantium ſtatum & conditionem comparatione, ita iudicârunt, nullum in terris

terris calamitosius animal degere homine. Quæ quidem sententia à Christianis probari omnino nō potest, nisi diuina illa quæ soli homini contigit, animæ vis & melioris vitæ spes excipiatur. Ad reliqua quod attinet, nihil refragamur, ipsa experientia conuicti. Quid enim humana vita fragilius, quid fugacius, quid magis inane? Vt recte dicatur *Homo bulla*: momento temporis enascens scilicet & euanescens. M. Terentius Varro in Præfatione quam scripsit in libros De agricultura, *Cogitans*, inquit, *esse properandū. Quod si, vt dicitur, homo bulla est, eo magis & senex. Annus enim octogesimus admonet me vt sarcinas colligam antequam proficiscar è vita.* Lucianus item in Charonte, vitas hominum bullis huiusmodi similes facit; quarum aliæ simulatque natæ sunt, protenus euanescunt; aliæ paulò diutius durant; omnes breuissimis interual-

Homo calamitosissimū animal.

Et bulla.

lis

lis aliæ ſuccedunt alijs. Neque quidquam profectò potuit excogitari, quod melius repræſentaret quam ſit nihil hæc vita noſtra. Primum quanto diſcrimine prodimus in lucem. Deinde quantis obnoxia periculis infantia? quam fugax adoleſcentia? quam præceps iuuenta? Sed facere non poſſum, quin Plinij fragilem vitæ breuitatem in Præfatione VII. libri ſcito depingentis, verba hoc loco adſcribam. *Incertum* (inquit) *ac fragile nimium eſt hoc munus Naturæ, quidquid datur nobis; malignum vero & breue in ijs etiam quibus largiſsimè contingit, vniuerſum vtique aui tempus intuentibus. Quid quod æſtimatione nocturnæ quietis, dimidio quiſq; ſpacio vitæ ſuæ viuit; pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœna, niſi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent, nec ſenecta, in pœnam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties in-*

Omnis ætas ſua habet incõmoda.

Pli. lib 7. in Præfa:

uocata morte, vt nullum frequentius sit votum. Natura vero nihil hominibus vitæ breuitate præstitit melius. Hebescunt sensus, membra retorquentur, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta. Et tamen vitæ hoc tempus adnumeratur. Hæc ille. Homerus vero non vno loco vitam hominis filijs comparat: vt Iliados sexto:

Homer. *Tale quidem genus est hominum quale est foliorum:*
Quorum hæc ventus humi fundit; rursum illa virescens
Profert sylua, simul veris sufflauerit aura.

Et alibi:

Nihil homine enutrit tellus infirmius alma.

Eamdem in rem elegantes sunt Menandri apud Plutarchum in libello Consolatorio ad Apollonium senarij:

Plutarch. *Caput atque summa orationis hæc:*
Homo es,

Quo non aliud est animal vsquam, quod modo
Surgat, modo cadat citius atque crebrius.
At iure sane: quippe debilissimum
Quum sit, negocia administrat maxima.

Et Euripides apud eumdem:

——— *Nec stabilis est felicitas,*
Sed in diem durans, & vnicus dies
Et hac ab alto traxit, hac & sustulit.

Sed inprimis apta est & efficax Pindari comparatio, qui hominem non frondibus confert, sed vmbræ somnium vocat, inquiens: ἐπάμεροι τί δὲ τίς, τί δὲ οὔτις, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, id est, *Diurni, quid autem aliquis? quid autem nullus? Vmbræ somnium homo.* Nihil certe inanius vmbra. Videtur enim aliquid esse, quum nihil sit. At hac quoque poëta reperit aliquid inanius, nimirum *vmbræ somnium.* Vt nemo posset dicere: *Pinda.*

CAPVT XVII.

Stultitiam Honoris ac Gloriæ esse instrumentum.

VERE Cicero: *Nullus est tam abiectus, qui dulcedine gloriæ non tangatur.* Et idem alibi: *Honos alit artes: omnesq; incendimur ad studia gloriâ.* Quis enim putet egregios illos heroas vel olim vel hodie quoque tanta pericula adituros, tantosque labores suscepturos, nisi animo prouidissent, rerum à se gestarum gloriã ad posteros quoque peruenturam? Ocij quippe ac quietis amor ita innatus est hominibus, vt, nisi Mens, diuinæ illa particula auræ, longius prospiceret, tumque demum se victuram putaret quum viuere desierit, nihil omnino nisi quod in præsens vel vtilitatem vel voluptatem quamdam afferret, molituri vmquam fuerint. At iam, quid non patrarunt olim, quid non patrant hodie

Tusc. Quæst.

Gloriæ vis.

hodie mortales, vt tam viui quam mortui immortalem nominis celebritatem consequantur? Enimvero virtutis merces est gloria, & dulce periculorum præmium. Sed quid ad hanc stimulos addit? Stultitia certè; quæ præ desiderio laudis, etiam vitæ obliuiscitur. Quid Q. illum Curtium in voraginem præcipitauit? Dices, gloriæ studium, vel patriæ amor; sed verius stultitia. Annon enim alij Sapientes & cordati tum Romæ? Quid Decios, quid Fabios obiecit hostibus, vt eis aditum corporibus suis obstruxerint? Insana quędam gloriæ cupiditas. Quid Empedoclē, quid Plinium impulit, illum vt Aetnæ, hunc vt Vesuuij montis incendiis vltro se obiicerent, nisi stulta quædam res abstrusas indagandi libido, vt quæ alij nesciebant, scire viderentur? Etiam Sapientum iudicio Romuli illi nepotes, Milo, Cæsar, alijque stultè fece-

eaque à Stultitia

fecerunt, quod in theatra, ludos, aliaque populi delinimenta omnes fere facultates profuderunt, ita vt salua Republica, salui esse nō possent. Atque ex his ipsis nonnemo hac ratione & immortalem nominis laudem, & summos honores, adeoque summum imperium cōsequutus est. Quis non, vt leuissime dicam, imprudentem putet fuisse Alexandrum Magnum, qui per murum enixus, in ipsos hostes insiliens, certissimæ morti se obiecerat, nisi iam pugna fessus suorum aduentu fuisset ereptus? Quid eumdem cum leone commisit, quam Stultitia, præter rationem animum ad tam ardua, adeoque supra hominis vires posita addēs? Quid de Iulio Cæsare dicemus? qui in Aegypto, hostibus persequentibus, in maximum flumen se coniecit, & sola sinistra remigans, dextra interim litteras supra aquam, ne madefierent, exstan-

Exemplo Alexandri Magni.

Iulij Cæsaris.

ſtantes tenens, ſummo cum periculo & labore tranauit. Temerarium hoc: at illud longe magis, quum victor à Pharſalica pugna rediens, atque vna tantum naui Helleſpontum traiiciens, L. Caſsium Pompeianarum partium ducem, cum decem nauibus obuium non modo inſequutus eſt, ſed etiam dedere ſe iuſsit? Numquid temerarius, id eſt, ſtultus fuit Mutij Scæuolæ ad Porſenam interficiendum vrbe egreſsi conatus? numquid ſtultius eiuſdem de ſuaipſius dextra ſupplicium? Vtrumque tamen ab hiſtoricis ad ſummam laudem æternis conſignatũ eſt litterarum monumentis. An non ſtultum eum exiſtimes, qui ſolus integro exercitui opponere ſe auſit? Fecit hoc Horatius Cocles; qui ſolus (vt Petrarcha canit,) vniuerſæ Hetruriæ armis ſeſe obiecit. Quid miſerum illum & merito ſepulta nominis memoria

Mutij Scæuola.

Horatij Coclitis.

ria inglorium impulit, vt Ephesinæ Dianæ templum incenderit, & vnum è ſeptem Mundi miraculis aboleuerit? Stulta ſcilicet & præpoſtera nominis aucupandi & ad poſteros propagandi cupiditas: qua tamen merito, vt diximus, fruſtratus eſt, quamuis facti memoria adhuc exſtet. Sed Deum immortalem! quam atrocia, quam incredibilia ac nefanda paricidia noſtro ſæculo ab hominibus ſtulta, immo dementi ac furioſa vel religionis vel gloriæ perſuaſione inductis patrata ſunt? Sed minime conſultum eſt, cicatrices male obductas & adhuc ſanguine ſtillantes refricare. Abſit vero vt furioſis his in noſtræ Moroſophiæ regno locum demus: quos potius infra omnes inferos ac Plutonias domus amandandas cenſemus. Illos quidem lubenter noſtram in ciuitate adſcribimus, qui dies noctesque ingenia ſua no-

uis inueniendis friuolis artibus aut subtilitatibus fatigât, iis præsertim vnde nulla spes lucri, sed tantum quædam inanis ferè laudis aura. At quorum cura magnis ac præclaris rebus occupatur, quique non sibi solum, sed posteris etiam, posthabita rei familiaris cura, prodesse conantur, eos supra ceterorum mortalium genus ad immortalitatem efferendos existimamus.

CAPVT XVIII.

Stultitiam optimum esse miseriarum huius vitæ condimentum.

PLERIQVE ex Philosophis nō Græcis modo & Latinis, sed etiam barbaris, facta inter hominum & brutorum animantium statum & conditionem comparatione, ita iudicârunt, nullum in terris

lis aliæ ſuccedunt alijs. Neque quidquam profectò potuit excogitari, quod melius repræſentaret quam ſit nihil hæc vita noſtra. Primum quanto diſcrimine prodimus in lucem. Deinde quantis obnoxia periculis infantia? quam fugax adoleſcentia? quam præceps iuuenta? Sed facere non poſſum, quin Plinij fragilem vitæ breuitatem in Præfatione VII. libri ſcito depingentis, verba hoc loco adſcribam. *Incertum* (inquit) *ac fragile nimium eſt hoc munus Naturæ, quidquid datur nobis; malignum vero & breue in ijs etiam quibus largiſsimè contingit, vniuerſum vtique æui tempus intuentibus. Quid quod æſtimatione nocturnæ quietis, dimidio quiſque ſpacio vitæ ſuæ viuit; pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ, niſi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent, nec ſenectæ, in pœnam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties in-*

Omnis ætas ſua habet incõmoda.

Pli. lib. 7. in Præfa:

Quo non aliud est animal vsquam, quod modo
Surgat, modo cadat citius atque crebrius.
At iure sane: quippe debilissimum
Quum sit, negocia administrat maxima.

Et Euripides apud eumdem:

—— *Nec stabilis est felicitas,*
Sed in diem durans, & vnicus dies
Et hac ab alto traxit, hac & sustulit.

Sed inprimis apta est & efficax Pindari comparatio, qui hominem non frondibus confert, sed vmbræ somnium vocat, inquiens: ἐπάμεροι τί δὲ τίς, τί δὲ οὔτις, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, id est, *Diurni, quid autem aliquis? quid autem nullus? Vmbræ somnium homo.* Nihil certe inanius vmbra. Videtur enim aliquid esse, quum nihil sit. At hac quoque poëta reperit aliquid inanius, nimirum *vmbra somnium.* Vt nemo posit dicere: *Pinda.*

Hic est aliquis. neque rursum: *Hic est nullus*, quod tam subita sit rerum humanarum mutatio, vt qui videtur aliquid esse, mox sit nullus; & qui videtur perisse, mox emergat & emineat. Eiusdem Pindari aurea hæc est sententia, quæ Principum omniumque in mundo confidentium parietibus, aulęis, poculis inscribenda. *Si quis autem opes possidens, forma præcellat cæteris, & in certaminibus fortiter se gerens, robur ostendat, meminerit quòd membra circumfert ad mortalia, quodque finem omnium terram subiturus sit.* Hæc de vitæ caducitate & fragilitate; quibus infinita alia addi possent. Sed ad miserias eiusdem redimus, de quibus supra à nobis citato loco Plinius disputationem suam concludens, ita ait: *Itaque multi extitere, qui non nasci, optimum censerent, aut quam ocyssime aboleri.* Hanc vocem Tullius à Sileno profectam scribit, quam libro De Consolati-

Rerum humanarum fragilitas.

Non nasci optimum.

one

one, teste Lactantio, sic extulit: *Non nasci longè optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ; proximum autem si natus sis quamprimum mori, & tamquam ex incendio effugere violentiam fortunæ.* Quam quidem sententiam à diuersis Poëtis Græcis, Alexide Comico, Theognide, Euripide, &c. elegantissimis versibus expressam legere est. Exstat & eiusdem argumenti Epigramma Posidippi, seu (vt alijs placet) Cratetis Cynici, & huic è diuerso respondens Metrodori. Quę quoniam elegantissima sunt, non grauabor Latinis verbis adscribere: Gratetis est hoc:

Quodnam iter humanæ cupias insistere vitæ? *Amteb. Cratetis & Meh.*
Quoquo te vertas, omnia plena malis.
Litigijs caussisque forum strepit omne molestis,
At iugis cruciat sollicitudo domi.

Digitized by Google

Enecat aßiduis rus triste laboribus: vndas
Et freta si sulces, mille pericla premunt.
Viuenti peregre si res tibi suppetit ampla,
Cuncta miser metuas, nec bene tutus ages.
Rursus si vacua pendebunt ære crumena:
Vt durum ac miserum est: hospitem egere virum!
Coniugium sequeris? Quanta hic te cura sequetur!
Desolatus eris, si sine coniuge eris.
Et tollis sobolem, multo educanda labore est.
Non tolles? orbi lumine vita vacat.
Si iuuenis fueris, vaga & inconsulta iuuenta est.
Viribus effœta est cana senecta suis.
Ergo quid reliquum est, quæso, nisi sanus vt optes.
Alterutrum aut numquam tristibus è loculis. Mater-

Materni prodiſſe vteri; aut vbi protinus illinc.
Exieris, mortis condier in latebras.

Amæbæum Metrodori ſic habet:

Quamlibet ipſe viam vitæ ingrediare licebit,
Vndiq; blanditur plurima commoditas.
Concio ſi placet atque forum; hinc vberrima famæ
Materia, hinc ingens gloria colligitur.
Hic bene tractandis prudentia callida rebus
Exſeritur: rurſum vita quieta domi eſt.
Rura petis? vario illic oblectamine mentem
Naturæ facies paſcet amœna tuam.
Dulcia prædiues lucra ſuppeditauerit æquor.
Si peregre viues, resque tibi ſupereſt,

Multus honos comitatur, habes nihil? ergo pudoris
Est minus: ipse tibi conscius vnus eris.
Vxor ducta tibi est? domus optima proinde futura est.
Non ducta est? Curis exoneratus ages.
Si tibi dulce patris cognomen pignora nata
Donant; & quod ames, vnde & ameris, erit.
Orbus ages? orbi est sine sollicitudine vita,
Quam patribus sobolis ferre alimenta solent.
Vt constant viridi roburque vigorq; iuuenta.
Commendat pietas sic sua canitiem.
Nil igitur video caussa, cur alterutrum optes
Aut nasci nunquam, aut interiisse statim.
Quandoquidem humana qua tandem est portio vita

Non optanda bonis atque adamanda suis?

Vides, opinor, quam benignè etiam maxima mala interpretetur Stultitia, & quum per spinas ambulat, meras rosas sibi calcare videatur. Quid enim notius vitę huius incommodis? quæ si pluribus persequi velim, non sine caussa lectoris patientia abuti videar. Vnum carmen magni viri non possum quin adscribam: vt pote quo velut ad viuum vniuersæ huius vitæ faciem expressam videre est. Sic ille:

Stultitia fert omnia.

Iul. Scal. lib. 6. Ep.

Incerta, caduca, perusta ignibus furorum,
Immunda, inhonesta, rigens horridis pruinis,
In falsa patria hospes, & exsul à te ipsa,
Sentina malorum, miserabilis cloaca,
Infida, rebellis tibi, serua prauitatis,

Tardis laqueus, subitis flamma, fossa caecis:
Tu delicium carceris, & carceris illex,
Desultoria fabula, somnium ebriosum,
Non vita. Quid ausim, fera, te dicere vitam?
Quid me hic fallis inepta? quid & teipsa ludis?
Tu mors potius, mors potius vocanda. Nempe
Nos mors liberat; at facis esse morte dignos.

Vt denique paucis cum S. Bernardo dicam: *Nascimur in moerore, viuimus in labore, morimur in dolore.* Sed age per omnes ætatum gradus oculos paullisper circumferamus; fatebimur profectò, nisi tantas huius vitæ ærumnas stulta quædam hilaritas, & hilaris quædam temperaret ac condiret veluti Stultitia, vix futurum vt ab homine perferri posśint. Adolescentiam

am vide (De infantia & pueritia nihil dicam, quæ vix est vt in censum vitæ, vt ita dicam, venire possint) Deum immortalem quãtas illa ætas (vt vel maxime beatorum, id est, diuitum sint pueri) à Pædagogis cogitur perferre molestias! Quisquis es, quæso, mecum paullisper pueritię memoriam recordare vltimam. Nunquid tibi schola carcer; magister, tyrannus; penna, remigium; libri, catena fuisse videntur? quibus alligatus, non manum modo, sed superciliosam quoque frontem plagosi magistri semper verebaris. Atqui hæc omnia æquo animo simplex illa fert ætas, quamuis vtilitatum, quæ, ex disciplina illa olim prouenturæ sunt, adhuc ignara. Iam ipsi præceptores, nunquid, si modo officio ritè fungi, & operæ precium facere velint, cum pueris velut repuerascere, eorúmque plane se moribus accommodare coguntur? Ab- *Pueritiæ fastidia.*

Pædagogorum imperitia.

esse hinc procul plagosi Orbilij, qui scire vultis discipulos ea quæ vos ipsi non scitis! Ah me miserum! Vtinam illius posśim obliuisci temporis, quo homo parum sanus (ita enim, quando rem ad rectam rationem iam reuoco, iudicare cogor) plus mentis mihi pædagogico suo supercilio abstulit, quam vnquam omnibus præceptis suis, sapientiæ instillauit! Et tamen sapiens sibi, fortasse etiam alijs videbatur. Vt merito exclamare liceat: *ô quantum est in rebus inane!* Quam multi docent, docendi adhuc! Quam multi in erudiendis ad lyram asinis operam & oleum perdunt! vt mirum sit quemquam reperiri qui tam duram in se suscipere velit prouinciam. Sed succurrit hic Moria nostra, facitque vt amara dulcia videantur. Quis vero omnem nostram vitam omnibus fraudum, iniuriarum, litium, perfidiæ, exsilij, captiuita-

tis,

tis, vulnerum, cædium, aliarumque infinitarum calamitatum telis propositam videns, vitæ communis officia obire, immò, vel vnum diem viuere sustineat? Sola certe contra hæc omnia nos armat Stultitia, animum addens, vt tam ijs, qui bene quam qui malè nobis volunt, obuiam ire, & par pari referre audeamus. Hæc omnem ignauię ac timiditatis suspicionem à nobis segregatam vult; hæc fortitudinis nobis opinionem conciliat: siquidem timidi ac feroces, ac qui fœnum in cornu gerunt, longè pluris fiunt quam ij, qui oleo, vt dici solet, tranquilliores sunt. Qui enim ouillam induunt, mirum non est quod à lupis deuorentur; at qui leoninam ostentant, terrorem alijs incutiunt, modo auriculas & vocem ne prodant. Quod si aliter fieri non possit, deuorandæ potius quam morsicandæ ac ruminandæ sunt iniuriæ. Alioqui enim futurum

Stultitia animum addit.

Digitized by Google

turum est, vt inuisam hanc lucem fugiamus potius quam animum ad ferendum subigamus: vti fecerunt Diogenes, Xenocrates, Aiax, Cato, Brutus, Cassius, Silius Italicus, Cornelius Gallus, Ezelinus, Galeatius Mantuanus, alijque sexcenti, qui iniuriarum impatientia, violentas sibi ipsis manus intulerunt.

Exempla eorum qui sibi ipsis mortem consciuerũt.

Et ille quidem quem vltimo loco diximus, quum puellam ardentissime deperiret, per iocum ab ea in Padum insilire iussus, statim è ponte se præcipitauit. Quid de illo dicemus, qui Ticini insano erga honestam feminam amore percussus, per iocũ eidem dicenti, Abi ac suspẽde te, promptissime obediuit, seque noctu ad fenestram illius ipsius feminæ suspendit, scripta prius suo ipsius sanguine mortis caussa, ac scedula ad pectus affixa, hisce verbis:

Vna donna crudel à morte spinse

Vn

Vn che per troppo amar se stesso estinse.

Nec multi sunt anni, quum versus isti ad memoriam illi ipsi loco incisi, deleti sunt. Infinita alia commemorare possem exempla eorũ, qui quum stulta quadam hilaritate tristitię ac mœroris nebulas discutere non possent, sed cum Heraclito flere quam cum Democrito ridere mallent, & vixerunt misere & misere mortui sunt. Quocirca optimum est homini, vt multis in rebus volens cęcutiat, vt etiam inani spe animum pascat, vt bona sua nôrit, mala ignoret, vt nihil ad viuum resecet, sed res omnes per faciliorem ansam arripiat: qua ratione multo dulcius vitam aget, quam si omnes suas actiones ad exactam sapientiæ normam instituat. Senibus quidem vix quidquã æque est oblectamẽto, quam pręteritorum annorum hilariter, ne dicam, stulte transactorum ab ipsa Stultitia

Optimũ non nimium sapere.

Digitized by Google

ſtultitia ſuppeditata memoria. Quid? ipſæ anus edentulæ, dum comunt, dum ornant ſe, dum rugas ceruſſa ac creta implent, modiſque omnibus deformitatem ſuam tegere conātur, & alterum iam pedem Charontis cymbæ impoſitum habentes, de amoribus nihilominus loquuntur: alijs quidem riſui ſunt, ipſæ verò non exiguam ſentiunt voluptatem, & ætatis ſuæ ac conditionis quaſi obliuiſcuntur. Agite vero quicumque Stultitiam hominibus vtilem eſſe negatis, dicite, Stultis, quid melius & optabilius ſit, poſt longam inter varias curas, anxietates animique cruciatus, quos ſeuera illa ac ſerijs negotijs implicita vita ſecum affert, vitam exactam, nihil aliud quam mortis deſiderium lucrifacere; aut benignæ & amabilis Stultitię auxilio, quęcumque in hac vita moleſta & acerba eueniunt, ita tranſire vt eorum vix vllum ſenſum percepiſſe

cepisse videamur? Vide sis, quæso, mi homo, ne dum nimia Sapientia marcescere, quam læta quadam Stultitia florescere mauis, illo ipso nomine à quo tantopere abhorres, dignus, & Anticyras relegandus videaris.

CAPVT XIX.

Stultitiam fontem esse Lætitiæ ac Hilaritatis.

OMNIVM ferè gentium linguis celebratur illud prouerbiū, quo Stulti felicem agere vitam dicuntur: vt qui procul ab omnibus negocijs, curis, fastidijs & molestijs, anthisteria quasi semper agitant, & in diem viuunt. Vitam hanc vide. Numquam fruimur bonis præsentibus, sed futuris semper inhiamus; quæ vbi adepti sumus, alia item quæ absunt desideramus. Ah, quam multi

Præpostera hominū cura.

Digitized by Google

multi Cappari victitant, qui poterant Anthiâ, ac vere mulorum vitam agunt! Illi ipsi albæ gallinæ filij, Fortunæ riuis inaurati, vt defraudant genium! vt non solum ea quæ habent amittendi metu, sed etiam augendi cupiditate crucientur! Non sic Moriæ nostræ cultores, quorum animos non timor affligit, non inflat spes, non stimulat ambitio, non cruciat inuidia, non excęcat auaritia; sed inter lusus, iocos, risus & vitam summa cũ hilaritate transigunt, nec sibi modo, verum alijs quoque sunt oblectamento. Applicant se illis homines, quocumque eunt, sequuntur pueri; in circulis non lubenter tantùm admittuntur, sed etiam prensantur; inde seria in ludicra, tristia in læta vertuntur; nec quisquam est qui non illis bene velit, atque etiam bene faciat, si posit: quum è contra superciliosi ac tætrici Philosophastri, seu inepti Sapientiæ affecta-

Fatuorũ vita hilaris.

affectatores ab omnibus deserantur, ac fame pæne moriantur. Nec verò homines solùm mira comitate Stultorum ingenia ac mores ferunt, sed etiam leges vsquequaque ijs ignoscendum putant, adeò vt nullum ob delictum quantumuis graue, puniri possint. *ff. ad l. Cornel. de sicar. & venefi.* vbi lex sic habet: *Infans vel furiosus, si hominem occiderint, lege Cornelia non tenentur: quum alterum innocentia consilij tueatur, alterum fati infelicitas excuset.* Vides Stultorum priuilegia merito cum sorte Principum comparanda; qui quum & ipsi legibus soluti videri velint, pudore tamen quadam & fragilitatis suæ conscientia victi, Rege ac Principe dignum aiunt vltrò legibus se subdere, & quas alijs condiderunt leges pati. Atque inde fortè est, quod plerique Principes moriones seu Stultos familiares atque in delicijs habent, eorumque ridiculis sermonibus

Iidem Principibus chari.

Digitized by Google

Tardis laqueus, subidis flamma, fossa cæcis:
Tu delicium carceris, & carceris illex,
Desultoria fabula, somnium ebriosum,
Non vita. Quid ausim, fera, te dicere vitam?
Quid me hic fallis inepta? quid & teipsa ludis?
Tu mors potius, mors potius vocanda. Nempe
Nos mors liberat; at facis esse morte dignos.

Vt denique paucis cum S. Bernardo dicam: *Nascimur in mœrore, viuimus in labore, morimur in dolore.* Sed age per omnes ætatum gradus oculos paullisper circumferamus; fatebimur profectò, nisi tantas huius vitæ ærumnas stulta quædam hilaritas, & hilaris quædam temperaret ac condiret veluti Stultitia, vix futurum vt ab homine perferri posśint. Adolescenti-

am

am vide (De infantia & pueritia nihil dicam, quæ vix eſt vt in censum vitæ, vt ita dicam, venire poſsint) Deum immortalem quātas illa ætas (vt vel maxime beatorum, id eſt, diuitum ſint pueri) à Pædagogis cogitur perferre moleſtias! Quiſquis es, quæſo, mecum paullisper pueritię memoriam recordare vltimam. Nunquid tibi ſchola carcer; magiſter, tyrannus; penna, remigium; libri, catena fuiſſe videntur? quibus alligatus, non manum modo, ſed ſuperciliosam quoque frontem plagoſi magiſtri ſemper verebaris. Atqui hæc omnia æquo animo ſimplex illa fert ætas, quamuis vtilitatum, quæ, ex diſciplina illa olim prouenturæ ſunt, adhuc ignara. Iam ipſi præceptores, nunquid, ſi modo officio ritè fungi, & operæ precium facere velint, cum pueris velut repuerascere, eorúmque plane ſe moribus accommodare coguntur? Ab- *Pueritia faſtidia.*

Digitized by Google

tis, vulnerum, cædium, aliarumque infinitarum calamitatum telis propositam videns, vitæ communis officia obire, immò, vel vnum diem viuere sustineat? Sola certe contra hæc omnia nos armat Stultitia, animum addens, vt tam ijs, qui bene quam qui malè nobis volunt, obuiam ire, & par pari referre audeamus. Hæc omnem ignauię ac timiditatis suspicionem à nobis segregatam vult; hæc fortitudinis nobis opinionem conciliat: siquidem timidi ac feroces, ac qui fœnum in cornu gerunt, longè pluris fiunt quam ij, qui oleo, vt dici solet, tranquilliores sunt. Qui enim ouillam induunt, mirum non est quod à lupis deuorentur; at qui leoninam ostentant, terrorem alijs incutiunt, modo auriculas & vocem ne prodant. Quod si aliter fieri non possit, deuorandæ potius quam morsicandæ ac ruminandæ sunt iniuriæ. Alioqui enim futurum

Stultitia animum addit.

turum

turum est, vt inuisam hanc lucem fugiamus potius quam animum ad ferendum subigamus: vti fecerunt Diogenes, Xenocrates, Aiax, Cato, Brutus, Cassius, Silius Italicus, Cornelius Gallus, Ezelinus, Galeatius Mantuanus, aliique sexcenti, qui iniuriarum impatientia, violentas sibi ipsis manus intulerunt.

Exempla eorum qui sibi ipsis mortem consciuerũt.

Et ille quidem quem vltimo loco diximus, quum puellam ardentissime deperiret, per iocum ab ea in Padum insilire iussus, statim è ponte se præcipitauit. Quid de illo dicemus, qui Ticini insano erga honestam feminam amore percussus, per iocũ eidem dicenti, Abi ac suspẽde te, promptissime obediuit, seque noctu ad fenestram illius ipsius feminæ suspendit, scripta prius suo ipsius sanguine mortis caussa, ac scedula ad pectus affixa, hisce verbis:

Vna donna crudel à morte spinse

Vn

Vn che per troppo amar se stesso estinse.

Nec multi sunt anni, quum versus isti ad memoriam illi ipsi loco incisi, deleti sunt. Infinita alia commemorare possem exempla eorū, qui quum stulta quadam hilaritate tristitię ac mœroris nebulas discutere non possent, sed cum Heraclito flere quam cum Democrito ridere mallent, & vixerunt misere & misere mortui sunt. Quocirca optimum est homini, vt multis in rebus volens cęcutiat, vt etiam inani spe animum pascat, vt bona sua nôrit, mala ignoret, vt nihil ad viuum resecet, sed res omnes per faciliorem ansam arripiat: qua ratione multo dulcius vitam aget, quam si omnes suas actiones ad exactam sapientiæ normam instituat. Senibus quidem vix quidquā æque est oblectamēto, quam pręteritorum annorum hilariter, ne dicam, stulte transactorum ab ipsa *Optimū non nimium sapere.*

Stultitia

ſtultitia ſuppeditata memoria. Quid? ipſæ anus edentulæ, dum comunt, dum ornant ſe, dum rugas ceruſſa ac creta implent, modiſque omnibus deformitatem ſuam tegere conãtur, & alterum iam pedem Charontis cymbæ impoſitum habentes, de amoribus nihilominus loquuntur: alijs quidem riſui ſunt, ipſæ verò non exiguam ſentiunt voluptatem, & ætatis ſuæ ac conditionis quaſi obliuiſcuntur. Agite vero quicumque Stultitiam hominibus vtilem eſſe negatis, dicite, Stultis, quid melius & optabilius ſit, poſt longam inter varias curas, anxietates animique cruciatus, quos ſeuera illa ac ſerijs negotijs implicita vita ſecum affert, vitam exactam, nihil aliud quam mortis deſiderium lucrifacere; aut benignæ & amabilis Stultitię auxilio, quęcumque in hac vita moleſta & acerba eueniunt, ita tranſire vt eorum vix vllum ſenſum percepiſſe

cepisse videamur? Vide sis, quæso, mi homo, ne dum nimia Sapientia marcescere, quam læta quadam Stultitia florescere mauis, illo ipso nomine à quo tantopere abhorres, dignus, & Anticyras relegandus videaris.

CAPVT XIX.

Stultitiam fontem esse Lætitiæ ac Hilaritatis.

OMNIVM ferè gentium linguis celebratur illud prouerbiũ, quo Stulti felicem agere vitam dicuntur: vt qui procul ab omnibus negocijs, curis, fastidijs & molestijs, anthisteria quasi semper agitant, & in diem viuunt. Vitam hanc vide. Numquam fruimur bonis præsentibus, sed futuris semper inhiamus; quæ vbi adepti sumus, alia item quæ absunt desideramus. Ah, quam multi

Præpostera hominũ cura.

Digitized by Google

affectatores ab omnibus deserantur, ac fame pæne moriantur. Nec verò homines solùm mira comitate Stultorum ingenia ac mores ferunt, sed etiam leges vsquequaque ijs ignoscendum putant, adeò vt nullum ob delictum quantumuis graue, puniri posſint. *ff. ad l. Cornel. de sicar. & venefi.* vbi lex sic habet: *Infans vel furiosus, si hominem occiderint, lege Cornelia non tenentur: quum alterum innocentia consilij tueatûr, alterum fati infelicitas excuset.* Vides Stultorum priuilegia meritò cum sorte Principum comparanda; qui quum & ipsi legibus soluti videri velint, pudore tamen quadam & fragilitatis suæ conscientia victi, Rege ac Principe dignum aiunt vltrò legibus se subdere, & quas alijs condiderunt leges pati. Atque inde fortè est, quod plerique Principes moriones seu Stultos familiares atque in delicijs habent, eorumque ridiculis sermonibus

Iidem Principibus chari.

Digitized by Google

insidijs vtuntur: non superbiam ficta humilitate, non profundam ambitionem dissimulatione tegunt. Contumelias patienter tolerant, iniurias etiam cum risu excipiunt. Sed quid caussæ dicemus, quod ijdem feminis mirifice placent? Alij fortasse aliud dixerint: mihi hoc videtur, quod *omne simile appetit sibi simile*; seu vt Cato apud Ciceronem ait, *Pares cum paribus facilimè congregantur.* Quis enim nescit, Stultitiam huic sexui ita familiarem ac quasi cognatam esse, vt veluti peculium suum sibi propriam vindicare posſit? Sed in hoc feliciores sunt Fatui mulieribus, quod harum pleræque ambitioni, superbiæ, alijsque cupiditatibus velificantur ac morem gerunt; illi vero nec auri, nec honorum studio ducantur, sed ea omnia quę alij etiam cum vitæ periculis tam sumtuose quam anxie venantur, celso ac securo animo despiciant ac con-

Fatui cur feminis grati.

Google

ac contemnant. Sapienter profe-
ctò? Vere enim S. Gregorius: *Quãto quis altior erigitur, tanto curis grauioribus oneratur.* Et S. Augustinus: *Summis felicitatibus Deus amaritudines miscet.* Et alibi: *In maiori gradu maior est pœna.* Tanto minus ergo mirum, quod non tantùm simplices, verum etiam cordati ac prudentes homines, dignitatibus huius mundi Vale dicto, quietæ vitę sese dediderunt; vt Fabricius, M. Curius Coruncanus, atque illud ipsum Romanæ Reipublicæ lumen, decus ac columen, Scipio. Numquid Diocletianus Imperator hortorum cultura oblectare se priuatus maluit, quàm Romę sceptrum tenere? Cratetem illum Thebanum forte Stultitię quis insimularit, quod aurum in mare abiecerit; sapienter tamen fecisse responsum ipsius ostendit, quo aiebat, Malle se aurum, quam seipsum perire. Nostris quidem temporibus

Honos. onus.

poribus quam multos videmus, relictis huius vitæ curis atque occupationibus, omnibusque abdicatis honoribus ac diuitijs, vitam amplecti solitariam. Sapienter, fortasse. Nec ego negarim, si pietas sola stimulos adderet. Nũc vero (testem laudo experientiam omnium certissimam) ô quam multi vel à puella, quam procati fuerant, delusi, vel opimæ prædæ, cui inhiauerant, spe frustrati, vel molestorum & supra captum negociorum tædio affecti, non pedetentim, sed vno saltu in Monachorum septa insiliunt, nec minus leui pede inde exsiliunt? Agnosce, quisquis es, Moriæ nostræ hic imperium, vndas in mari quærentis. Quid enim iuuat secessum quærere, nisi à teipso quasi secedas? Quid ex hominum conspectu te abripere, cui rerum amatarum imago sẽper ob oculos obuersatur? Non dubium tamen est, quin nonnul-

Ad sapientiam sæpe ducit Stultitia.

lis

Digitized by Google

lis quod improuide initio & Stulte fecisse videbantur, bene verterit; quique cum Themistocle, perierant nisi perijssent. Hoc tamen ipsum beneficium cui iustius, post Deum, acceptum referent quam Stultæ cuidam Sapientiæ, & sapienti Stultitiæ? Ex quo intelligimus, non modo eius quæ à mundanis hominibus quæritur, verum etiam eius quæ solo animo percipitur, quæque sola ij qui extra se positum nihil admirantur aut curant, nec præsentia, sed futura inquirunt, fruuntur, lætitiæ atque hilaritatis conciliatricem esse Moriam. Abite ergo nimium Sapientes, ac res vestras, curas scilicet, sollicitudines, molestias, anxietates, labores, mœrores, vobis habete. Nobis mitioris dominę obtigit imperium, quæ in regno suo neminem tristem esse patitur, sed omnes tristitiæ, vndecumque exsurgant, nebulas, hilaritatis

luce

luce discutit ac serenat.

CAPVT XX.

Stultitiam etiam brutis animantibus prodesse.

NON hominibus modo, verum etiam brutis animantibus parum expedit multum sapere: immo hæc ipsa quanto magis stupida sunt ac ferocia, tanto felicius agunt. Quid enim miserius illis animalibus, quæ ob quamdam Rationis scintillam ab homine velut in societatem adsciscuntur? Canem specta: Non loquor iam de Melitæis catellis, quorum nullus homini est vsus nisi vt cum delicatis ac Stultis matronis lusitent; sub qua specie Lucianus salsissime ludit in Stoicum barbatum, cui in eodem sedenti vehiculo domina committit catellum, obtestans per omnia quæ sunt in vita dulcissima vt diligenter

Canes homini familiares.

L

ligenter eum curet. Vbi non canũ, ſed hominum nota Stultitiam, qui beſtiolam ad nullas res, niſi ad conſpurcanda cubilia vtilem in delicijs habent, ſinu fouent, in manibus circumferunt, & quaſi communi menſa dignantur, excluſis interim ad Dei effigiem factis hominibus, vt merito quis Romanas matronas eiuſmodi catellos circumgeſtantes videns rogarit, An nulli Romæ eſſent liberi, qui dulce à matrum humeris penderent onus? De ijs loquor qui vel ad vſum venandi aluntur, vel qui ad ædium cuſtodiam adhibentur. Quibus quam multo ſatius eſſet procul ab hominibus degere, ac non alijs, ſed ſibi ipſis venari atque excubias agere? At quia aliquantum ſupra reliqua bruta ſapere videntur, ijdem homini ſeſe applicant, adulantur, ſeruiunt. Eſſe verò in canibus ſcintillam quandam ſenſus ſeu rationis, illa ſeu hiſto-

ria

ria seu fabula (ego enim vtrum sit, ciccum non interduim.) ostendit. In Macedonia vicus fuit, qui Thracum dicebatur, propterea quod olim à Thracibus fuerit inhabitatus. Hic quum canis quidã Archelai regis aberrasset, Thraces de more suo mactatam sacrificarunt ac deuorarunt. Quod vbi comperisset Archelaus, talentum eis mulctam indixit. Verum quum illi soluendo non essent, Euripidem subornarunt, qui regem exoraret, vt mulctam remitteret. Postea vero quum in sylua quadam Euripides aberrasset, & Archelaus à venatu reuerteretur, canes Euripidem cinctum discerpserunt deuoraruntq;. Existimatum vero fuit, eos canes ex eo prognatos fuisse cane quem Thraces sacrificarant. Vnde prouerbium natum, *Canis vindicta*. Scio hęc ab aliis aliter referri. Valerius enim Maximus ait, Euripidem, quum ab

Mors Euripidis qualis.

Lib. 9. c. de mo. nõ vulg. Archelao rege Macedonum adhibitus cœnæ fuiſſet domum à conuiuio reuertentem, à canibus fuiſſe diſcerptum. Eos canes ab æmulo quodam immiſſos fuiſſe, teſtatur Agellius. *Noct. At. l. 15. c. 20.* Suidas addit, hos æmulos fuiſſe Aridæum Macedonem & Crateuam Theſſalum poetam, quos Euripidis gloria vrebat. Sunt qui narrent, eum non à canibus, ſed à mulieribus (quæ & ipſæ, vt Hecuba apud Plautum, Canes paſsim dicuntur) laniatum fuiſſe, vtpote ſummum mulierum oſorem. Sed quidquid horum ſit, id certè conſtat, Cane vix vllum animal æque docile, atque etiam magis fidum hero reperiri: quos non viuos tantùm comitantur, & qua poſſunt tuentur, ſed mortuos etiam lugent, ac ſæpè vlciſcuntur. De quo non illepida eſt apud Plutarchum narratio. *Li. de cõp. terr. ani. & mar.* Pyrrhus, inquit ille, rex iter faciens, canem reperit, corpus hominis interfecti ſeruantem:

uantem: quumque cognouiſſet e-um tertium iam diem impaſtum manere, nec à cadauere diſcedere, extinctum ſepeliri, & canem ad ſe adduci curauit. Paucis poſt diebus militum delectus fuit habitus, omneſque regem ſedentem præteribant. Aderat & canis, quietus interim, donec heri interfectores prætereuntes conſpicatus eſt. In hos protinus iratus cum latratu irruit, ſubinde ad Pyrrhum reſpe-ctans; adeo vt non ſolum ipſi Pyrrho, ſed & omnibus qui aderant ſuſpicio naſceretur. Proinde quum & aliæ nonnullæ coniecturæ, vt fit, accederent aliunde, duo comprehenſi & facinus confeſsi, ſupplicio ſunt affecti. Addit idem Plutarchus, Heſiodi quoq; interfectores ab ipſius cane proditos, ſupplicium dediſſe. Subijcit his idem auctor, quod ſuo æuo dicit accidiſſe. Quidam in AEſculapij templum irrepens, ſublatis aureis

Fidelis canis exemplum.

Digitized by Google

atque argenteis aliquot monumentis, clam & ignotus, vt putabat, se subduxit. At canis templi custos, Capparus (dignus certe, cuius nomen ne periret) quum videret neminem æedituorum suo latratu commoueri, fugientem sacrilegum est insequutus; ac primum quidem saxis impetitus, haud tamen abscedebat. Exorto die, non accedebat propius, sed procul oculis obseruans sacrilegũ sectabatur, nec cibum obiectum capiebat: rursum iuxta dormientem cubabat & ipse abeuntem ad similem modum, sequebatur. Quod si qui viatores fuissent obuij, cauda adblandiebatur, in illum vero vnum sæuiebat ac latrabat. Hæc quum alij ab alijs didicissent, simulque & canis & hominis figuram cognouissent, sacrilegum apprehenderunt, & conuictũ, ad supplicium duxerunt, cane præcedente hilari iam ac gestiente,

te, quod maleficum venatus esset. Vnde ei cani de publico pastus decretus est, eiusque rei cura sacerdotibus demandata. Aliud non minus admirabile exemplum Aelianus recenset. Fuit, inquit, Colophonius quidam, qui ad mercatũ in Ioniam profectus, canem secum & seruum duxit. Hic ad aluum deijciendam secedens, crumenam heri argento plenam deposuit, aluoque exonerata, rursus itineri se dedit, crumenæ oblitus. Vbi ad mercatum venerunt, herus præstinatis quibusdam mercibus, à famulo argentum petijt: quod ille dum demum oblitũ se intellexit. Sic ergo ambo celeriter viam qua venerant repetentes, tandem ad locum vbi seruus crumenam reliquerat, venerunt, ibique miserum canem quasi appositum rei relictę custodem inuenerunt, aliquot dierum inedia ita confectum, vt deposito quasi vix reddito, infelix AElian.

Digitized by Google

morte conciderit. Plurima alia his fortaſsis magis mira de mira canum ſagacitate ac fidelitate exempla, tam antiqua quam recentia paſsim occurrunt. Sed quid hæc omnia illis proſunt, niſi quod quãdo vetuli facti fuerint, carnifici tradantur, aut appenſo ſaxo in flumina præcipitentur, aut tandem fame contabeſcant atque emoriantur? Quid de equo dicemus, animali tam pacis quam belli artibus vtiliſsimo, ac ſenſus humani quodammodo participe? Vide illum Pallantis apud principem Poëtarum, heri ſui mortem non ſentientem modo, ſed etiam deplorantis. De quo ille ſic:

Equorum ſolertia.

Poſt bellator equus, poſitis inſignibus, AEthon
It lachrymans, guttiſque humectat grandibus ora.

Memorię prodiderunt non ignobiles Hiſtorici, paullo ante quã Cæſar à coniuratis occiſus fuerat, equos, quos libcros ſine cuſtode

custode reliquerat, & à cibo abstinuisse, & copiosas lachrymas fundere visos. Non minor affectus ac sensus in illo fuit equo, de quo Silius Italicus: Silius.

Agnouit sonipes, arrectisque auribus acrem
Hinnitum effundens, sternit tellure Vagesum,
Quem tum captiuo portabat in agmina dorso.
Hinc rapidum glomerans cursum per lubrica pinguis
Stante cruore soli, & mutilata cadauera cæde,
Euolat, ac domini consistit ad ora iacentis;
Inde inclinatus collum submissus & armos,
De more inflexis præbebat scandere terga
Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.

Fortissimi herois Georgij Castriotæ Scanderbegi (vulgo, Epi-

ized by Google

mortuus pascit. Hoc scilicet vnum post tot stimulos additos, tot inflicta verbera, tot exantlatos labores, ei restat, vt iugulum præbeat ac sine vlla commiseratione (vnde prouerbium, *Senex bos non lugetur*) lanij manibus laceretur, sale condiatur, in fumarium suspendatur, & morte sua ingratorũ vitam sustentet. Auiculæ quæ caueis inclusæ, homines cantu suo oblectant, vel humanas voces imitantur, nunquid miseram agunt vitam, si illas spectemus, quæ libero gaudentes aëre circumuolitant, & escam pro lubitu quærunt? Iam quid miserius gallinis, anatibus, anseribus, homini domesticis animalibus? quæ oua non sibi sed homini pariunt; supposita, non sibi, sed homini fouent & excludunt; pullos non ad spem propagandæ sobolis, sed ad heri mensam & delicias educant, ac tandem ipsa quoque inciso iugulo, cocta, assata,

Et aliorum cicurum animantium.

Digitized by Google

(vt Strabo ſcribit) ſeu quiſquis alius fuerit, negari non poteſt quin rem valdè temerariam ac periculis plenam aggreſſus fuerit. Dædalum ridemus, nec Icari caſum lugemus, qui quum ſine plumis nati eſſent, volare tamen voluerunt. non ſane minus inſaniſſe videtur, qui quum terram ſibi, aquam piſcibus inhabitandam aſsignatam ſcirent, domicilium tamen mutare & in contrario naturæ ſuę elemento quaſi habitare voluerunt. Quid enim mare? Res vt fere infinita (hinc prouerbium, *Mare malorum*) ita aſpera, ſæua, indomita, vt alio prouerbio hominem inhumanum atque immiti ingenio non melius deſcribere ſe poſſe putarint veteres, quā ſi *è mari natum*, aut *Neptuni filium* dicerent. Et ſane, Deum immortalem! quam multos iratum hoc elementum omnibus bonis elutos à ſe dimittit! quam multos vero viuos vnà cum bonis abſorbet!

Quod voluisti facere, quin facias mihi:
Apage, apage te à me; nunc iam post hunc diem,
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.

Hæc illi; sed inconsulta Stultitia, quæ vt initio animum illis ad tantos conatus addidit, ita proculdubio, si illi semel atque iterum successerint, ad maiora etiã sit exstimulatura. Verè enim Horatius de hoc hominum genere:

Luctantem Icarijs fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

Immo, vt idem ait:

Impiger extremos currit mercator ab Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Equi-

quidem vita nihil habent charius: at homines incerti lucri caussa, vitam suam tanto preciosiorem certissimis periculis exponere non verentur. Fateor sanè multa esse in ipsa terra quæ hominum vitæ partim insidias, partim vim intentent. Sed cedo nauta, quid in mari præter vnum illud fragile lignum habes, vnde vitæ tuæ præsidium petere queas? Quid in terra homini aduersatur quod non multo magis in mari aduersetur? In terra quidem infesta mortalibus sunt fames, sitis, frigus, æstus, ignis, aqua, morbi, dolores, ægritudines, vis hostium & insidiæ: at quid horum est, quod non in ipso mari multo sit infestius magisq; periculosum? Sed caput malorum est, quod inconstantissimi elementi, aëris scilicet seu venti, qui facile te reijcere potest, arbitrio, tum fluctuum sæuitiæ, qui temporis momento te absorpturi sint, fortunas tuas vitam-

tam-

Google

tamque concredere cogeris. Audacter dixerim, si hominum quiesceret auaritia, omnem Nauigationem conquieturam. Auaritia enim corda hominum mouet atque impellit; eadem hominem domo exigit, inani spe lactat, animat, armat, intellectu priuat, mari væumdat, ac tandem scopulis illidit. Aristonem dicere solitum aiunt, qui in mari moriantur, bis mori. Primo enim corda eorum auaritia, deinde corpora aquis suffocari. Fabatus totis septuaginta annis numquam adduci potuit, vt Regio Messanam, nouem tantum passuum millibus inde distantem, traijceret. Aiebat enim, nauem rem stultam esse quæ continuo moueretur: nautam stultum esse, qui in horas consilia ac sententiam mutaret: aquam stultam esse, quæ perpetuo quodam æstu flueret ac refluerect, ac modo leniter iaceret strata, modo altissimis fluctibus

bus intumesceret: aerem vero multo magis stultum esse atque inconstantem, qui modo ab hac, modo ab illa cœli plaga, modo placide, modo tempestuose spiraret. Quod si, inquit, vnum stultum in terra fugio, me quatuor Stultis in mari concredam? Sapienter sane in hoc & dixit & fecit Fabatus. Si enim maris tempestates, fluctuum tumorem, nauis iactationem, inamœnos nautarum mores, aliasque infinitas molestias consideret, facile in eam concedet sententiam, quæ nauigantes omnes Stultorum numero adscribendos censet. Quæ enim prudentia vel sapientia adhiberi potest ab homine in nauim quasi compacto? Quā ille aliam aptiorem cantare possit cantilenam, quam hanc: *Memento mei Deus, quia ventus est vita mea?* Vere ventus tua est vita. Quid enim in naui vsitatius est quam de vento loqui, ventum spectare, ventum

Nauigātium vita ventus.

lum fluuium Eurotam, qui Spartam mediam secabat, numquam nauigio ingredi aut traijcere voluisse. Existimabat enim terram hominibus, aerem volucribus, aquam piscibus inhabitandam à Deo assignatam esse: tum scilicet aquis se crediturus, vbi pisces terræ inambulantes conspexerit. Philosophum nescio quem eo tantum nomine ab hæreditate ad se deuoluta abstinuisse aiunt, quod eam adituro fluuius quidam traijciendus esset. Certe M. Portius Cato iam morti vicinus, trium rerum pœnitere se dixit: quod diem vllum per ignauiam sine operæprecio elabi passus esset; quod arcanũ mulieri concredidisset: quodque iter quod terrà confici poterat, nauigio confecisset. Cropilus Platonis discipulus tam abhorrebat à mari, vt fenestras omnes ædium è quibus in mare prospectus erat, obstrui iusserit; ne vmquam nauigandi

Exempla eorum qui ab aquis abhorruerunt.

demergaris. Neque enim vllum mare tam tutum quod non aliquo myoparone infestetur, aut tempestatem seu procellam aliquando non sentiat.

Vectorum priuilegium & hoc est, quod quamprimum pedem in nauim intulerint, nequaquam eis postea ad suum dormire arbitrium liceat, sed nauclero ac nautis ad nutum obedire cogantur. Quod si quis nobilitatem suam aut alias prærogatiuas velit prætendere, statim vel à mesonauta aliquo res suas sibi habere & facessere iubetur.

Vectorum priuilegium est, quod in tanta nauis capacitate vix vllus sedendi, acclinandi tamen se ad parietem vel asserem picatum locus detur.

Ijdem, quantacumque nobilitate, potentia, opibus inflati incedant, nisi Capitaneum dominum, nauclerum amicum, nautas fratres

tres ſalutarint, non quidquam impetrabunt. Nam & nullam illi in naui habent prærogatiuam, & omnium egent auxilio.

Fruuntur hoc priuilegio nauigantes, quod humiles in conuerſatione, patientes in iniurijs, & ſurdi ad conuicia eſſe diſcunt. In naui enim multo plus lucri feceris ſi iniuriam æquo animo feras ac quaſi deuores, quam ſi alteri inferre, aut tibi illatam vlciſci velis.

Nauigantium priuilegium eſt, omni amicorum carere conuerſatione, nullam ex formoſarũ puellarum repulſa capere moleſtiam, nullis delicatis cibis ſtomachum onerare, à frigidæ ac recentis aquę potu (quia non ſunt) abſtinere. Liber interim illis eſt iſtarum rerum appetitus, ſed nulla conſequendi ſpes aut occaſio.

Nauigantium priuilegium eſt, pane bis cocto veſci prius tamen

cum-

eumdem aqua macerare, nisi dentes frangere velis.

Nauigans meminerit, si quando exscensione facta sapidum ac recentem panem, vel quidquam aliud esculentum aut poculentum sibi comparauerit, earum rerum vsumfructum non proprium sibi, sed cum alijs communem fore. Nec iuuat dicere, tuo argento emta esse. Nisi enim vltro dederis, alij vel furto tibi subtrahent, vel rapient palam.

Nauigans meminerit, frustra à promocondo recentem, limpidam ac frigidam aquam peti, sed præclare agi si turbidæ, tepidæ, insipidæ atque adeo fœtidæ aquæ haustus obtingat. Interim tamen illud licet, vt dum poculum ori admouent, inter bibendum altera manu poculum teneant, altera nares obturent.

Nauigantibus, si quando aqua vel ad potum vel ad lotionem egeant,

geant, licet eam vel à nauis magistro petere, vel à nautis & remigibus emere, vel è terra petere. In naui enim (quod mirum sane) nullius rei maior fere inopia est quam illius quæ maximè abundat.

Vectoribus in naui sputum eijcere nequaquam licet. Vide, sis, nautarum priuilegia: qui quum in templis impune spuant, eos qui in naui spuunt, ferre nolunt.

Nauigantibus carnem recentem ac sapidam optare quidem, interim vero loco eius (si modo copia sit) vetulæ bouis frusto muria cōdito aut fumigato, semicocto, vel semiasso, vel semiustulato, vel etiam nonnumquam fœtente, vesci: ita vt cibus eiusmodi oculis ingratus, palato insuauis, stomacho vero grauis sit & concoctu difficilis.

Nauigantium priuilegium est, si quid boni edere velint, ollam à coquo mutuo petere ac quasi e-

mendicare, eandem igni admouere, despumare, atque intentis oculis continuo assidere: quos si vel paullulum auerteris, vel passum vnum & alterum discesseris; vel ablata vel permutata olla, mox te tamquam coruum hiantem delusum videbis, atque insuper alijs ludibrio eris;

Nauigantes, si munditie delectētur, suas sibi mappas, sua mantilia aliaque mensæ instrumenta habeant necesse est: quibus si careant, absque vllo pudore catinum sordibus squallenti scamno, vel pauimento imponere, & manus atque os vel indusio vel barba tergere licet.

In triremibus nulla scamna sunt in quibus accumbas, nullæ fenestræ ad quas te acclines, nullæ mēsæ in quibus cibum capias, nullæ sellæ quibus insideas. Quod si lessum te velis recipere, in solo seu pauimento, ad exemplum Turca-

Vectorum est minime per foros & transtra spaciari, sed angulum aliquem in quo deliteant, quærere, & in omnibus nautarum gratiam ambire.

Vectoribus peculiare est, interulas seu indusia minimè sæpe mutare, sed immunda, squallore ac pedore obsita ad eum vsque locum vbi dulci aqua lauandi sit copia, seruare.

Eorumdem priuilegium est, sine naucleri venia morsicantibus pediculis cutem subtrahere, seque instar suum ad malum vel quiduis aliud affricare.

Consimile eorundem est priuilegium, vestes noctu non exuere, non modò vt commodius dormiant. (siquidē in naui melioris lecti copia non est) verum etiam ne quis lopodyta alterius exuuias harpaget, secumque alportet, aut in suam cistam condat.

Et hoc inter eorum, si vis, nu-

merato priuilegia, quod vbicumque in naui libuerit, cubitum eis reclinare se liceat, nulla habita ratione eorum qui vel ad pedes vel ad caput decumbunt. Quod si quis horum ex nimio allij esu visire, seu sibilum, qui de Arabicis messibus nihil spiret, podice edere cœperit, nares quidem obturare, vel potius in somnio quasi factum fingere, obmurmurare vero ac simili tono respódere, nisi forte iurgium quis excitare velit, non licet.

Vectorum priuilegiũ est, quod omnes & singuli, cuiuscumque status ac cõditionis sint, ad pulicũ qui nauim, pediculorũ qui vestes, cimicum qui trabium atque asserum rimas obsident, alimentum aliquid, velint nolint, conferre coguntur. Quod si quis inuitus faciẽs, interulã ac vestes quotidie visitauerit, multipedum generi insidians:

ans: nihil fere aliud lucri fecerit, quam quod si quando manum in sinum aut caligas demittat, citius viuum aliquod animalculum quam Philippicum è crumena sit extracturus.

Vectorum est, magnatum exemplo parasitos Diogenianos, mures, inquam, ac glires alere; eorumque importunitatem hactenus ferre, vt vnguenta olentes chirothecas, interulas, mantilia, sudaria, tibialia, collaria & calceos inprimis ab eis arrodi, & è peniculis nidum in quo se fetusque suos alant, construi nec admirentur nec indignentur. Quod si eius generis bestiola quædam tibi vel pedum digitos vel aurem morsu vellicauerit, minime exclamare aut conuicio se vindicare, verum plusquam Stoica constantia omnia ista tolerare oportet.

Vectorum priuilegium hoc non

postremum est, quod si vel nauim primum ingredientem, vti fieri solet, nausea te ceperit, vel exorta tempestate & naui cum sæuis luctante fluctibus, ex iactatione cerebro vertigo, cordi dolor oboriatur, quidquid impatiens ventriculus suggesserit, eijcere, & bona fide vomere, minime vero exspectare licet, dum sociorum aliquis tibi caput teneat, aut tui commiseratione tangatur: quin potius vnum conuiciantem tibi, alium dicterijs, hanc scilicet medicinam salubrem tibi esse, & ad purgationem eiusmodi nullo pharmacopola aut pharmacopolio tibi opus esse, illudentem tibi audies.

Nauigantium priuilegium est, natura aluum deijcere postulante, sine vlla verecundia caligas detrahere, & mari apertas nates ostendere; nec ea re magis moueri quam si nunquam natus sies.

Si quis nauigantium forte in terram

terram quacumque de caussa cupiat exſcendere, licebit ei primo veniam à nauis magiſtro petere, deinde nautarum aliquem precio cõducere, qui celoce eum ad terram vehat, atq; inde ad nauim reuehat. Quod ſi ille vel nimis diu in terra moratus fuerit, vel tubæ profectionem indicantis ſonitum non audierit, licebit ei è terra auolantem nauim quam longe poteſt proſpectare, ſuamque moram fruſtra damnare.

Nauigantium priuilegium & hoc eſt, quod ab eorum ſocietate Monachi & Religioſi, cuiuſcumque ſocietatis aut familiæ, vt Benedictini, Frãciſcani, Dominicani, Auguſtiniani, Carmelitæ, Hieronymiani, &c. non excluduntur: quibus (ſi modo nauclero & nautis credant) præ reliquis vectoribus multa alia ſunt in naui priuilegia atque immunitates: vt quod nec habitum religioſum vel cucullam,

nec cingulum, nec rosarium gestare, nec Breuiarium manibus versare, nec Horas recitare teneantur. Quin etiam fit nonnumquam, vt magister nauis Breuiarium ponere, & remum apprehendere, ac mesonautarum opera facere iubeat.

Eorum qui in triremibus præsertim nauigant, priuilegium est, Christiana quadam humilitate malorum societatem non aspernari, siquidem eò fere quidquid vspiam est maleficorum ac flagitiosorum hominum, confluere solet, vt minime erret qui nauim sceleratorum ergastulum, & proborum carcerem dixerit. Sed audi, sis, & alia ab eodem auctore Nauigantibus tributa priuilegia.

Vectorum priuilegium est, nullius vel clam suffurantis, vel palam rapientis aliquid audaciam accusare, sed potius, vt inter amicos fieri prouerbium monet, cibum, vestes,

veſtes, omnia denique cum eis communia habere. Quod ſi quis crumenæ dominium ac quaſi peculium ſibi ſoli vindicare velit, operam dabit vt collo appenſam aſſidue geſtet: quam ſi vel ſemel poſuerit, non magis eam poſtea curet ac deſideret quam ſi in terra vnde ſoluit eam reliquiſſet.

Nauigans hac prærogatiua, ſcilicet, fruitur, quod quidquid in naui vel amiſerit, vel commodato alijs dederit, nunquam ad ipſum redit. Tantum enim abeſt, vt quod vel negligentia vel furto perijt, legitimo poſſeſſori reſtituatur, vt qui illud inuenerit citius in mare proiecturus quam tibi redditurus ſit.

Nauigantium priuilegium eſt, omnis generis luſibus operam dare, & in vnoquoque quaſcumque poſſunt fraudes atque impoſturas impune adhibere. Vbi enim in triremibus ius ac iuſtitia locum ha-

geant, licet eam vel à nauis magistro petere, vel à nautis & remigibus emere, vel è terra petere. In naui enim (quod mirum ſane) nullius rei maior fere inopia eſt quam illius quæ maximè abundat.

Vectoribus in naui ſputum eijcere nequaquam licet. Vide, ſis, nautarum priuilegia: qui quum in templis impune ſpuant, eos qui in naui ſpuunt, ferre nolunt.

Nauigantibus carnem recentem ac ſapidam optare quidem, interim vero loco eius (ſi modo copia ſit) vetulæ bouis fruſto muria cōdito aut fumigato, ſemicocto, vel ſemiaſſo, vel ſemiuſtulato, vel etiam nonnumquam fœtente, veſci: ita vt cibus eiuſmodi oculis ingratus, palato inſuauis, ſtomacho vero grauis ſit & concoctu difficilis.

Nauigantium priuilegium eſt, ſi quid boni edere velint, ollam à coquo mutuo petere ac quaſi emendi-

mendicare, eandem igni admouere, despumare, atque intentis oculis continuo assidere: quos si vel paullulum auerteris, vel passum vnum & alterum discesseris; vel ablata vel permutata olla, mox te tamquam coruum hiantem delusum videbis, atque insuper alijs ludibrio eris.

Nauigantes, si munditie delectẽtur, suas sibi mappas, sua mantilia aliaque mensæ instrumenta habeant necesse est: quibus si careant, absque vllo pudore catinum sordibus squallenti scamno, vel pauimento imponere, & manus atque os vel indusio vel barba tergere licet.

In triremibus nulla scamna sunt in quibus accumbas, nullæ fenestræ ad quas te acclines, nullæ mẽsæ in quibus cibum capias, nullæ sellæ quibus insideas. Quod si sessum te velis recipere, in solo seu pauimento, ad exemplum Turca-

Vectorum est minime per foros & transtra spaciari, sed angulum aliquem in quo deliteant, quærere, & in omnibus nautarum gratiam ambire.

Vectoribus peculiare est, interulas seu indusia minimè sæpe mutare, sed immunda, squallore ac pedore obsita ad eum vsque locum vbi dulci aqua lauandi sit copia, seruare.

Eorumdem priuilegium est, sine naucleri venia morsicantibus pediculis cutem subtrahere, seque instar suum ad malum vel quiduis aliud affricare.

Consimile eorumdem est priuilegium, vestes noctu non exuere, non modò vt commodius dormiant. (siquidē in naui melioris lecti copia non est) verum etiam ne quis lopodyta alterius exuuias harpaget, secumque alportet, aut in suam cistam condat.

Et hoc inter eorum, si vis, nu-

merato priuilegia, quod vbicumque in naui libuerit, cubitum eis reclinare se liceat, nulla habita ratione eorum qui vel ad pedes vel ad caput decumbunt. Quod si quis horum ex nimio allij esu visire, seu sibilum, qui de Arabicis messibus nihil spiret, podice edere cœperit, nares quidem obturare, vel potius in somnio quasi factum fingere, obmurmurare vero ac simili tono respódere, nisi forte iurgium quis excitare velit, non licet.

Vectorum priuilegiũ est, quod omnes & singuli, cuiuscumque status ac cõditionis sint, ad pulicũ qui nauim, pediculorũ qui vestes, cimicum qui trabium atque asserum rimas obsident, alimentum aliquid, velint nolint, conferre coguntur. Quod si quis inuitus faciẽs, interulã ac vestes quotidie visitauerit, multipedum generi insidi-

ans:

ans: nihil fere aliud lucri fecerit, quam quod ſi quando manum in ſinum aut caligas demittat, citius viuum aliquod animalculum quam Philippicum è crumena ſit extracturus.

Vectorum eſt, magnatum exemplo paraſitos Diogenianos, mures, inquam, ac glires alere; eorumque importunitatem hactenus ferre, vt vnguenta olentes chirothecas, interulas, mantilia, ſudaria, tibialia, collaria & calceos inprimis ab eis arrodi, & è peniculis nidum in quo ſe fetuſque ſuos alant, conſtrui nec admirentur nec indignentur. Quod ſi eius generis beſtiola quædam tibi vel pedum digitos vel aurem morſu vellicauerit, minime exclamare aut conuicio ſe vindicare, verum pluſquam Stoica conſtantia omnia iſta tolerare oportet.

Vectorum priuilegium hoc non

poſtremum eſt, quod ſi vel nauim primum ingredientem, vti fieri ſolet, nauſea te ceperit, vel exorta tempeſtate & naui cum ſæuis luctante fluctibus, ex iactatione cerebro vertigo, cordi dolor oboriatur, quidquid impatiens ventriculus ſuggeſſerit, eijcere, & bona fide vomere, minime vero exſpectare licet, dum ſociorum aliquis tibi caput teneat, aut tui commiſeratione tangatur: quin potius vnum conuiciantem tibi, alium dicterijs, hanc ſcilicet medicinam ſalubrem tibi eſſe, & ad purgationem eiuſmodi nullo pharmacopola aut pharmacopolio tibi opus eſſe, illudentem tibi audies.

Nauigantium priuilegium eſt, natura aluum deijcere poſtulante, ſine vlla verecundia caligas detrahere, & mari apertas nates oſtendere; nec ea re magis moueri quam ſi nunquam natus ſies.

Si quis nauigantium forte in

terram quacumque de caussa cupiat exscendere, licebit ei primo veniam à nauis magistro petere, deinde nautarum aliquem precio cōducere, qui celoce eum ad terram vehat, atq; inde ad nauim reuehat. Quod si ille vel nimis diu in terra moratus fuerit, vel tubæ profectionem indicantis sonitum non audierit, licebit ei è terra auolantem nauim quam longe potest prospectare, suamque moram frustra damnare.

Nauigantium priuilegium & hoc est, quod ab eorum societate Monachi & Religiosi, cuiuscumque societatis aut familiæ, vt Benedictini, Frācifcani, Dominicani, Augustiniani, Carmelitæ, Hieronymiani, &c. non excluduntur: quibus (si modo nauclero & nautis credant) præ reliquis vectoribus multa alia sunt in naui priuilegia atque immunitates: vt quod nec habitum religiosum vel cucullam,

 nec

vestes, omnia denique cum eis communia habere. Quod si quis crumenæ dominium ac quasi peculium sibi soli vindicare velit, operam dabit vt collo appensam assidue gestet: quam si vel semel posuerit, non magis eam postea curet ac desideret quam si in terra vnde soluit eam reliquisset.

Nauigans hac prærogatiua, scilicet, fruitur, quod quidquid in naui vel amiserit, vel commodato alijs dederit, nunquam ad ipsum redit. Tantum enim abest, vt quod vel negligentia vel furto perijt, legitimo possessori restituatur, vt qui illud inuenerit citius in mare proiecturus quam tibi redditurus sit.

Nauigantium priuilegium est, omnis generis lusibus operam dare, & in vnoquoque quascumque possunt fraudes atque imposturas impune adhibere. Vbi enim in triremibus ius ac iustitia locum ha-

bere cœperint, triremium locus amplius non inuenietur.

Nauigantium priuilegium est, si quando in terram exſcenderint, obuium quodq; siue bos, seu vitulus, seu sus, seu anser, seu gallina fuerit, rapere, in nauim comportare, mactare, & non secus ac si peculio emta essent, absumere ac vorare.

Vectorum priuilegium est, quod nemo in cuiusquam fidem vel religionem inquirit, sed omnes ex æquo, Ecclesiastici ac sæculares, Nobiles ac rustici, coniugati ac cælibes libertate gaudent.

Nauigantium priuilegium est, quod nec dies Dominicos, nec ipsa solemniora festa, vt Pascha, diem Natalem Christi, Pentecosten, &c. sanctificant aut feriantur. Quin plerique nullo tempore ludendo, nugando, atque etiam blasphemãdo magis occupati sunt: adeoque

sæpe fit vt nec diem nec temporũ rationes sciant aut inire possint, quasi extra hominum commercia positi.

Etsi enim ieiunia nonnunquam & preces in nauibus celebrantur, id tamen non ex deuotione & pietate erga Deum, sed defectu, necessitate & coactione proficiscitur.

Nauigantes, quamdiu triremibus inclusi sunt, omnium tributorum, & exactionum immunitate gaudent: quin etiam nec ab Episcopo excommunicari se, nec à sacerdote peccatorum exomologesin exigi à se patiuntur. Mihi quidem (inquit Gueuara) scedulas Confessionales aliquando à conuectoribus poscenti, chartas illi lusorias monstrarunt, dicentes, „Scholam hanc esse non confitendi, „sed ludendi.

Nauigantium priuilegium est, per totam Quadragesimam, singu-

 lis

lis vigilijs,omnibusque alijs interdictis diebus,sine vlla conscientiæ læsione carnibus vesci. Memini (inquit idem Gueuara) mihi eo nomine vectores reprehendenti, ab ijsdem responsum: Numquid scis, eos qui in terra degunt, pisces è mari, nostro iam domicilio, petitos, hodie edere? cur ergo nobis non liceat carnibus ex illorum domicilio ac sede allatis, vesci?

Nauigantium priuilegium est, quod gratuitam habent sepulturam. Nec enim vel æditituo pro cãpanarum pulsu, vel sacerdoti pro Missa Pro defunctis vel teruncium soluere tenentur; siquidem quamprimum animam exspirauit, corpus piscibus deuorandum in pelagus abijcitur.

Nauigans illam legem ne transgrediatur, qua quidquid de penu reliquum fuerit, in naui relinquere iubetur. Ita fit, vt quod tibi su-

perſuerit, alijs donare cogaris; quod vero defuerit, nec precibus nec precio ab alijs impetrare poſſis.

Nauigantes denique meminerint, quando è naui diſcedendum, tam Nauclero quam nautis magis pro acceptis iniurijs quam beneficijs gratias humaniſsime agendas, tum etiam honorarium dandum; vt ſi forte vſus ſit, alio tempore apud ingratos tanto ſis gratior.

Equidem ſic ſentio, ſi vſpiam nauigandum ſit, Anticyras nauigandum eſſe: nec dubito quin ſi quis caput ibi elleboro recte purgarit, ibi moriturus potius quam tam infido elemento rurſus ſe crediturus ſit.

Verumenimuero vt tanto facilius meam in ſententiam concedas, & Nauigantium ſtultitiam agnoſcas: operæ precium fortaſſe fuerit, paucis Maris naturam ingenium-

niumque describere; vt quasi cum creatura illis res sit, ignaris innotescat.

Si nominis etymologia excutiatur, Mare ab amaro dictum videtur: quum quod aqua eius amara & salsa, tum etiam natura atque ingenium multo amarius sit atque vehementius. Mare enim, si nescis, multo est quam videtur amarius multoque periculosius. Neque enim fluctus eius prius subsidunt quam ad litus frangantur.

Ea maris natura est ac conditio, vt nemo nisi coactus ei se credat. Equidem non postremum ei locum inter stultos assignauero, qui mari se suaque committit, nisi coactus.

Aperto ac simplici ingenio est mare: vt quod neminem nisi semel decipiat. Cauet enim ne is quem semel deceperit ac suffocarit, postea ad eumdem lapidem impingere possit.

Auri &

Auri & argenti fodina Mare eſt, vt quod multos locupletat: idem cœmiterium eſt, vt quod multo plures ſepeliat.

Natura ſtultum ac fatuum eſt Mare, vt pote numquam ſibi conſtans, ſed ad Lunę arbitrium ſe circumagens; non quidquam diſcriminis inter Regem ac ruſticum faciens.

Mare pallium eſt delictorum, & aſylum flagitioſorum hominũ. Neque enim quiſquam ibi vel ob virtutem honoratur, vel ob vitia repudiatur.

Mare ſceleratos fert, ſed ignauis infeſtum eſt. Væ enim illi qui in mari timidus eſt ad nauigandum, & ignauus ad pugnandum!

Infidum mare eſt ac fraudis plenum: eoque ſemper contrarium ei quod promittit, animo prçcipiendum eſt. Si enim maxime tranquillum fuerit, procellas ac tempeſtatem meditatur; ſi tumidum & elatum,

latum, iam ad quietem ac tranquillitatem ſeſe componit.

Vni mare amicum, alteri infeſtum eſt. Hinc videmus nonnullos marina aura recreari atque integræ valetudini reſtitui; alios vero primo quo pedem naui intulerint die enecari.

In mari tamen vix quidquam reperias, quod ad vitæ faciat incolumitatem. Nam piſces phlegmatici ſunt, eoque pituitam cauſſantur, aer maritimus turbidus ac procelloſus, aqua ſalſa, humor noxius, nauigatio autem periculoſa eſt.

Mare toti homini moleſtias ac faſtidium exhibet. Nam & corpus affligit atque eneruat; & cor ipſum aſsiduis curis macerat ac conficit: dum vectores in perpetuo verſantur metu, ne aut à piratis opprimantur, aut naui ſcopulis aut vadis illiſa, ſubmergantur.

Mare cibi quidem parit appeti-

tum;

tum; idem tamen & ſtomachum & totum corpus debilitat.

Mare ad nauigandum neminem inuitat. Sæuitiam enim ſuam, profunditatem, ventorum inconſtantiam, multitudinem ſcopulorum, frequentitiam tempeſtatum omnibus palam oſtendit & quaſi ob oculos ponit: vt vere dici poſsit, quicumque in mari pereunt, non Fortunæ aduerſitate aut ſiniſtro quodam fato, ſed ſua Sultitia perire.

Mare omnibus ſe ad videndum, piſcandum, nauigandum, & quaſi vincendum ac vinciendum exponit; eos nihilominus qui ſemel illi ſe permiſerint, nexu mancipioque ſibi vindicat: nec vſpiam in terris tanta potentia eſt quæ vel minimum de maris potentia queat detrahere.

Quæ omnia ex Hiſpano ſcriptore & graui ſimul ac faceto, hic recenſere voluimus, vt nauigantium

tium appareat Stultitia. Iam vero si vtilitates consideremus, quas ad hominum vitam (nec id sane negare ausim) adfert Nauigatio: facile videbis eas omnes soli Stultitiæ, Nauigationis auctrici, acceptas ferendas esse. Sed iam meipsum quoque nausea inuadit; eoque demissis velis & complicatis armamentis, in portum cymbam applico, atque in terram exscendo.

Ne quis autẽ miretur, nos rei humano generi familiarissimæ, Stultitiæ scilicet, suscepisse patrocinium; sequens Corollarium libello huic nostro subnectere visum est. Interim vt ille qui animalis quale est Asinus, tã stupidi Laudationem conscripsit, non veritus est ne & ipse ex Arcadica hac prosapia descendisse, sicque prouerbio, quo Muli mutuum scabere dicuntur, locum dedisse videretur: sic & ego parum sollicitus sum, ne Stultitiam laudando, inter Stultos à nasu-

ſutis habeat: è quorum numero qui maxime ſe eximere volunt, maxime in hoc regno primatum obtinere non ignoro.

IN ASINVM PONOcratem Cipoli Monachi,

Oratio Funebris.

Incerto quodam Italo auctore: interprete G. C.

NOn ſum neſcius, Auditores, me non paruæ vobis admirationi fore, quos in locum tam honeſtum, vt aſini, animalis apud pleroſque vilis & contemti, Laudationem audiretis funebrem, conuocarim, quum hoc honore ij tantum qui de Republica bene sūt meriti, aut rebus geſtis ac præclaris artibus celebres, ſoleant affici. Verumenimuero exiſtimo fore, vt Exordiū.

poſtquam raras Aſinorum virtutes intellexeritis,omnem ſitis depoſituri admirationem. Arbitror vos etiam quamprimum hac de re dicere cœpero; rem valde laudabilem à nobis prædicari exiſtimaturos:quum propter mite ac manſuetum animalis ingenium, tum propter emolumenta ac commoda non exigua,quæ illud ad hominũ vitam adfert. Poſtquam vero generatim diſſeruero,induſtriam inſuper inſignem, voluptatem raram, & vtilitatem incredibilem vobis explicabo,quas ex hoc Aſino meo quotidie, priuſquam eum Parcæ rapuiſſent,percipiebam: ſic vt non ſine cauſſa me ſitis exiſtimaturi hoc animal deplorare, aut Oratione Funebri,poſtquam ſocium cladis neminem habui,prædicare.

Aſinorũ precium apud veteres. Dicat igitur, obſecro, quiſquis aſinum tam vilem ducit,quod vmquam animal pluris redemtum

fuit?

fuit?nullum profecto, si M. Varroni credimus, pleno fidei ac iudicij viro. Id vero de asinorum excellentia profectum est: quæ quum in alijs rebus est illustris; tum eo, quod hoc solum animal toto vitæ suæ tempore sobolem procreat. Neque facile suæ prolis magis amans animal reperias: quandoquidem illi non raro per medios ignes suppetias tulit. Quanti vero sunt qui ex eo capiuntur vsus? Nemo fere tam felici possit esse memoria, minimam vt horum partem recensere valeat. Renes primum asini, vesicæ morbis egregie medentur: iecur assum pellit morbum comitialem: vrina faciei maculas eluit, vt & fel: adeps leprosis multum conducit: ex auribus emissus sanguis febres quotidianas curat: atq; adeo minima quæque huius bestiæ pars, nisi mentiantur præclari Scriptores, mirabiles habet vires. Neque ignoratis, Auditores, Neronis vxorem

Vsus asinorũ ad Medicinam.

vxorem ſolitam eſſe permultas aſinas alere, quarum lacte cutem candidam, firmam, omniſque rugæ expertem redderet. Id porro quod Galenus tradit, tale eſt: vt in ſtomacho non concreſcat, ac dyſenteria laborantibus valde aptum ſit. Ex oſsibus vero multa præclara conficiuntur Muſica inſtrumenta, quæ non minoris fiunt, quam eburnea. Vt mirum non ſit, Muſicam aſinis tam eſſe familiarem, quum in eorum ſita ſit oſsibus. E dẽtibus pulchrę fiunt teſſerę quibus inter ludendum omnis mœror atque luctus abſtergitur. Pellis denique tympanis & membranis conficiendis, aliiſque rebus

Modeſtia. permultis eſt idonea. Quod vero reperiatis animal minus moleſtũ aut incommodum? quod magis ſobrium ac modeſtum? Si bibentem aſinum conſideres, nullam dices virginem quamvis elegantem modeſtius poſſe bibere. Neque linguam

guam exserit, vt canes, neque caput fere totum in aquam demergit, vt equi optimi faciunt; neque collum in altum reijcit, vt aues: sed summis tantum labris aquam delibat, ac si minus est pura, reijcit. Quod si quis in itinere excrementorum odor ad nares eius perueniat, mox in cœlum sublato capite aerem captat, vt puriore, credo, deteriorem fugct, Iam patientius hoc animal nullum exstat. Etenim quum & canis fuste tactus clamet, & calcaribus fossus equus volet, & stimulo bos pũctus velocius incedat: hic nullis ictibus fatigatus propelli potest. Atqui eum existimo singulari quadam prudentia id cognoscere, suum rebus singulis constitutum esse tempus, ac nunc laborandum, modo quiescendum. Iam inter nulla animalia minus hoc est morbis obnoxium. Quod autem intellexistis, Auditores, asinum & Musicam in ossibus, *Patiẽtia.* *Sanitas.*

ſibus, & Medicinam per totum quodammodo corpus diſperſam in ſe continere: huc illud iam addo, in auribus eius ſitam eſſe Aſtrologiæ artem. Etenim quandocumque in terram conuerſis aurium aciebus paſcitur, non paullo certius dat inſtantis pluuię ſignum quam quum vel grues ad Continentem volant, vel candelæ ſcintillant. Præterea nullum animal accuratiori auditu eſt præditum. Quumque Midas, poſtquam Bacchi aſinos læſerat, grauiter punitus fuerit, non difficulter quanto quondam in honore aſini fuerint, cognoſcitur. Quocirca mirandum non eſt, ſi melioribus ſæculis ſapiens quidã aſinus exſtitit, Ammonis Alexandrini diligentiſsimus auditor, doctiſsimi Origenis & acutiſsimi Porphyrij condiſcipulus. Illud etiam conſiderate quam fauſti ſit augurij aſinus, quum & Sauli viam quaſi ad regnum Iſraeliticum

Prædicti- ones.

Aſinus Philoſo- phus.

liticum ſtrauerit,& Marium Syllæ crudelis inſidias fugientem iuuerit. Quod ſi quis huic opinioni grauatur aſſentiri, Ariſtophanis Comœdiam, *Aues* inſcriptam perlegat. Quid vero tam ſuperbã reddit Arcadiã quam aſinorum, quos plurimos educat, excellentia? quid ita Reatinos inflat, quam animalium horum apud ipſos prȩſtantia? Quid aliud Lucianum atq; Apuleium tam celebres reddidit quam quod Aſini hiſtoriã ſingulari tractarunt elegantia? De quo quidem ſcripſerunt etiam Ariſtoteles, Aelianus, Palladius, Columella, Cato, Galenus, Theophraſtus, Dioſcorides, alij plures: cui etiam ſe pariter ac puerum ſuum, Seruatorem noſtrum, Deipara Virgo non dedignata eſt imponere, quum ſe in Aegyptum, vt Herodis tyranni euaderet manus, reciperet. Quocirca mirari nemo debet, ſi ego, qui iam pridem integram aſini naturã ha-

Arcadia aſinorum patria.

quo tempore mihi per Arcadiam iter faciendum fuit, huius asini desiderio caperer, quem antea nulla mulier quamuis elegãs capere potuerat. Equidem nec in Apulia, nec in Calabria, verum vt fatear, asinum vel melius compositum, vel præstantius educatum videre memini. Oculos primum tales habebat, quales Mineruæ tribuit Homerus, quique omnes asinas non difficulter accenderẽt. Pedibus deinde tam firmis erat, vt nulli vnquam oneri succumberet. Dorso vero non elephanti dissimili erat. Quòd si mihi argentum defuisset, certe meipsum potius pignori dedissem, quam animali tam insigni caruissem. Cumque nondum bimus esset, quo tempore mihi vendebatur; nihilominus ingenij ratione multo erat ætate prouectior. Itaque cum aliquando iubente nostro Præfecto per agros eleemosynam colligerem, non parum mihi

Ponocratis mei dexteritas posuit. Etenim rusticæ mulieres ac puellæ nihil non ad me promtissime deferebant, saltem vt salientem ac se versantem spectare possent Ponocratem. Ac vix aliquem vicum ingrediebar, cùm statim centum voces Ponocratem latissime excipientium existebant: nomenque tam pulchrum per montes ac valles, per terras & maria diutissime resonabat. Equidem tantum, Auditores, animo dolorem concipio, vix vt animum recipere possim. O miser Ponocrate, quàm tu mihi acerbam reddis vitam! quantam nobis præpropera tua mors parit ęgritudinem! quoties propter te lachrymas fundo? Quid nunc agam? quo me conferam? Nihil ad me deferetur amplius, postquam tu omnis mihi boni causa, decessisti, nemo me tam comiter posthac excipiet. Solus tu nostri totius monasterij fuisti subsidium: & cum singulis

gulis eras vsui, tum voluptati mihi, quem nulla vnquam tanta consternauit mœstitia, quam tu non subito tua discuteres elegantia. Vt enim vno verbo absoluam, Auditores, Ponocrates meus acutior erat Aristotele, prudentior Socrate, eloquentior Demosthene, fortior Hectore, memoria quoque Themistoclem superabat, scientia iuris Papinianum, sapientia Nestorem, viribus elephantem, audacia leonem, cantu Sirenem. Iam quis eius animi magnitudinem & fidentiam satis explicet? solus enim hic lupũ rapacem, nostri ouilis cladem, cõfecit. Sed illud est lõge maximum. Epiphaniæ peruigilijs, quibus bestiæ de more vetustissimo sermone sunt vti solitæ, hic me tali voce, cum iuxta me cubaret, compellauit: Quoniã tu singulari mei cura, Cipole here, meritus es, salubri vt consilio te instruam, postquam hoc tempore mihi diuinitus te-

cum loqui concessum est; quæ dicam, accipe. Voluptatem studiose fugito, malorum omnium radicem. Quod euitari non potest, patienter ferto. In humana felicitate spem nullam ponito. Vino ad sanitatem, non ad ebrietatem vtitor. Teipsum, non alium, cognoscere studeto. Iniuriam potius ferto, quam inferto. Commune bonum singulari prius habeto. Tranquillum viuendi genus colito, id si minus honestum, minus etiam molestum est. Neminem ante mortem felicem ducito. Tuum, quod adimi potest, non existimato. Gratiorem inimicum, quàm adulatorem habeto. Aduersam fortunam, quæ temperantiæ mater est, non formidato. Linguam tuam refrænato. Honores humanos, per quos multi pessum abierunt, contemnito. Alia prçterea permulta me tum ille commonuit, quç nunc esset infinitum referre. Itaque quanquam per-

permulti elephantem inter omnes beſtias maxime rationis eſſe participem tradidere, nihilominus equidem deierare auſim, nullum in India vnquam animal extitiſſe, quod cum aſino meo hac inre cõparari potuerit. Quid quod nec Antron Theſſaliæ ciuitas, nec Africa tota, pulchrorum aſinorum vtraque ferax, Ponocratis vnquam ſimile quicquam protulit. Nequè guloſus erat, neque delicatus: quãquandoquidem carduis plerumq; veſcebatur: ſic vt eum lingua palatoque ferreis exiſtimem fuiſſe, cui nunquam hoc cibi genus cruorem expreſſerit. Quo etiam factum eſt, vt omnes eum aſini ſemper ſint reueriti, ac nũquã nõ priore loco decorarint. Solũ hoc mihi diſplicuit, cum poſtremo vitæ tempore pulcherrimæ cuiuſdã aſinę amore captus fuit, in quo quidem riualem habuit Anconitanum quendam aſi-

num valde robuſtum. Hunc certè quondam ſic excepit Ponocrates, vt & caput ei pilis, & os dentibus nudarit. Quæ crudelitas adeo mihi diſplicuit, vt eum poſt id tempus vinctum pedibus continuerim. Verumtamen quandocunque ſenatoris cuiuſdam Longobardi miſerias ex amore profectas in animum reuocabam, non difficulter ei miſericordiam tribuens, adimebam vincula. Denique non alius regni aſinini merebatur coronã, quanquam permulti de ea totius Arcadiæ non quadrupedes tantum verum bipedes etiam aſini diſceptabant. Quapropter non iniuria tibi, care Ponocrates, vehementer inuideo, tuaque de cauſa non inuitus in aſinum tranſmutarer. Tu vero à Faunis ac Satyris hoc precibus impetra, vt quemadmodum Meliſſam in apem, Caliſtonem in vrſam, Hecubam in canem, Nioben in fauum, Ocyroen in equam tranſtu-

transtulerunt; sic me in asinum parte saltem aliqua conuertant. Atque hæc hactenus, Auditores, de Ponocrate meo dicta sint: in quibus adeò nihil aut falsum dixi, aut adieci de meo, vt multa sim oblitus dicere, ac nequaquam tantum vobis, quantum potuissem, retulerim. Quid igitur reliquum est? vestræ humanitati gratias vt agam, quæ nostras querelas tam attentis auribus hactenus excepit; & vt omnes quamprimum asini fiatis, seriò vobis exoptem. Dixi.

IN SIMIVM,

Oratio Funebris.

Quanquam ridiculum est animal Simius, ad humanam tamen naturam accedit omnium proxime. cuius quoniam actiones omnes imitatur diligenter, permagni fit à magnatibus. Et quoniam huius corporis membra valde sunt humanis similia, obijcere

re, quàm aut Hortensium suæ murenę, aut Catullum sui passeris, existimetis, rarum quoddam eius ingenij vobis exemplum referam. Cum prior eius herus quodam tempore conuiuas habiturus esset, ipsi coquinæ fuit cura commissa. interuenit forte Florentinus quidam quouis Aristoxeno vel Apicio gulosior, idemque maxime famelicus. is meo Simio primũ blanditias facere; eumque de præsidio suo demouere conari, ne furanti adesset arbiter. Id cum non succederet, (quoniã Simius forte, quod res erat, suspicabatur) quod Simios meminerat solere quiduis imitari, duobus depromtis sudarijs, altero suos sibi obligat oculos, alterum Simio relinquit. hic idem cum faceret, Florentinus pro dexteritate sua Phasidis auem secum aufert, eaq; stomachum placat. Quod postquam cognouit noster Simius, magno dolore corre-

ptus, crebro carmen hoc, quod olim iuuenis didicerat, repetiuit: *Cui res est cum Tusco, non licet esse lusco.* Paulò post redit eodem Florentinus, technam priorem iterat, verum Simius, quanto plures fiebant insidię, tanto sibi cauebat diligentius; ac primę imposturę non immemor, in secundam ne incideret, omnem operam dabat. Hoc ergo cum præstiterit, Auditores, an cerebro, sensuque communi caruit? Ac si alia plura, quæ sunt ab hoc scite gesta, vellem recensere, magna mihi contexenda foret historia. Sed erunt fortasse, qui, quo pacto hic Simius has in regiones deuenerit, cupient cognoscere. quapropter attentos paulisper vos præbeatis, oportet, Etenim quod excellentibus ingenijs plerumque contingit, vt fortunam experiantur aduersam, huic quoque euenit. illa siquidem nõ viles nec imbecilles, verum fortes ac generosos a-

sos animos in certamen prouocat. Itaque cum Simius noster in Pithecio regno maximi fieret, quod & ingenio cum Atheniensibus, & fortitudine cum Romanis videbatur posse certare, omnium consensu rex creatur. Hoc in imperio magna prudentia vsus est, ac maiorem vbique communis, quam priuati boni, rationem habuit. Et quemadmodum sol eodem pacto pauperes ac diuites collustrat; sic nemini hic vlterius, quàm ius pateretur, gratificari sustinebat. Neque iudicia temere vnquam, aut absque magna deliberatione faciebat. Et quoniam bellissimam duxerat in vxorem Simiam, omnem furtiuum congressum, quasi diu regno frui vellet, fortiter vitabat. Vtinam vero mortales vt ædium structuram ab hirundinibus, lanificium ab araneis, clisteres à ciconijs, aciei ordinem à piscibus, reipublicæ formam ab apibus didicerunt

cerunt, ita regni rationem ad Simij mei exemplum vellent exprimere. Cæterum hic, securè cùm regnaret, ab Indiæ rege magno prœlio deuictus, habitu militis gregarij sumpto saluus euasit, varijsque locis peragratis, tandem in heri mei manus deuenit: qui cùm eius mihi curam commisisset, ea me nunc per inuidiam, vt videtis, Fortuna spoliauit. Quo vero putatis me sensu, Auditores, fuisse, cum eum in manibus meis expirare cernerem? quot suspiria, quot singultus edidisse? Nec Telamonem, credo, filium Aiax, nec Hercules carum Hylam, nec Adonim suum Venus tam tenere deplorauit. Equidem nec AEgypti regem, qui tot animi causa Simios alebat, hoc potiorem habuisse vllum existimo; nec ab Apuleio laudatum, fuisse cum nostro comparandum. Certè qui res memorabiles literis consignarunt; hoc animalis genus

max-

maximos vſus obſeruarunt præbere:idemque agriculturæ autores, cum boues morbo correptos reſtituere ſanitati,tum leones febri liberare tradiderunt.Iam prolis hos amore tanto teneri compertum eſt,vt eam nonnunquam arctiori complexu necarint. At elegantia dexteritateque tanta ſunt; vt quæuis alia non raro deceperint,atque etiam Alexandri quôdam exercitum conterruerint. Quo etiã factum arbitror, vt pro Cteſiphonte dicens,Demoſthenes AEſchinem elegantis actionis ergo Simium tragicum nuncuparit. Credite porrò, Auditores, quicquid olim in quocunque Simio ſingulare fuerat, in meo confertim extitiſſe:quem equidem,quãdiu viuere me fata ſinent, lugere non ceſſabo. Ac ſi mihi Antonij ſuppeteret oratoris facundia,diligentiſsime quoſuis homines ad caſum tam triſtem deplorandũ cohor-

hortaret. AEgyptij profecto talem bestiam si vidissent, numinis eam loco, relictis felibus & allijs, coluissent. Chaldæi quoque tam felices si fuissent; igne neglecto, Simij mei sibi confecissent imaginem. Hic denique; Auditores, ne diuturni planctus vobis nauseam forte moueant, finem faciam. Dixi.

IN FELEM FLORÆ Viduæ.

Oratio Funebris.

Quoniam vbique nobis deesse natura non vult, si vna in re nouerca fuit, in alia matrem se præbet. Itaque quanquam muribus infestamur, singulari humano generis tormento, remedium tamen suppetit à felibus maximum, perpetuis illorum inimicis. Sed præter vsum delectationem quoque hoc animal variam habet,

habet, quam ex hac poteritis oratione cognoscere.

NVnc demum intelligo, matronæ, nihil in hoc orbe diuturnum esse, siquidem & longæ sunt molestiæ, & intolerabiles dolores, & miseriæ perpetuę breuiaq; solatia. Etenim plerunq; bonos primo loco mors aufert, relictis improbis. Itaque qui planè sunt inutiles, Tithono seniores fiunt; quorum est vita necessaria, vix nati iam intereunt. Mihi certè quē fortuna in solitudinis solatium conciliarat, pulcherrimum Felem subito mors per inuidiam, pro dolor, ademit. Haud equidem existimo tam luctuosum mihi mariti mei obitum accidisse, quanquam ille humaniter mecum agebat, nec leuiter officio fungebatur suo. At me Feles meus mille delectabat modis, eumque ante annum, quo mihi maiori esset voluptati, cauda non-

da nonnihil priuaram. Ceterum vt eius omittam dexteritatem, nõ humili fuit genere prognatus. Etenim à nobilissima Feli originem ducebat, quam tradidit Lucianus Veneri in delicijs fuisse. Iam sagitta quauis velocior erat, omnique flamma leuior, & nullo non cane mordacior. Quin etiam nec paruos mures curabat, at pingues atque opimos omni persequebatur diligentia. Quocirca mihi Poëtæ versum videbatur legisse:

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Heu Feles carissime, siccine me potuisti deserere? Cùm enim sæpe multas in te virtutes coacta sim suspicere; quæ tamen omnium esset maxima, quoniam erant omnes æquales, nunquam potui discernere. Nunquam sane nec Itali, nec Hispani, nec Galli, nec ipsi Tartesij Felem vllum, qui tecum continentia & fidelitate posit contendere,

dere, ſunt habituri. Etenim cum huic penum meam perſæpe commiſerim, nullius vnquam rei iacturã feci. Equidem gallinis omnibus & anſeribus, quam hoc animali carere maluiſſem. Iampridem certe ab omnibus erat ſordibus alienus, quibuſque excrementis per naturæ inſtinctum liberamur, ea tam ſecreto deponebat, nullus vt idipſum perſentiſceret. O quantum ego, mi Feles, tuo deceſſu damnum feci! Vtinam de tuo morbo fuiſſem mature certior facta! nullos enim non ſumptus tuæ cauſa valetudinis facere ſuſtinuiſſem, etiamſi mihi ea re ad Codri, vel Iri, vel Diogenis paupertatem deueniendum fuiſſet. Cùm quidem permulti eum viri nobiles magno pretio voluerint olim à me redimere, nullius ad eam rem promiſsis vnquam potui perduci. Quid quod ſingulis eum noctibus me vicinæ ex ordine petebant, vt

mures

mures in earum ędibus venaretur? Deinceps vero, Matronę, quam secure forices ac mures degent? Illi vero tanto numero fuccrefcent, vt me tandem vnà cum vicinis meis, quemadmodum Syllam pediculi, planè deuorent. Quod si duo talium felium paria Gyarum insulam tenuissent quondam, nunquam eius incolæ fugati à muribus fuissent. Ego porro qua ratione gratam erga tam bene meritum animal me declarabo? Equidem hac vtar in præsentia, vt eum hoc insigni sepulcro condam, & quæcunque postremis tabulis ab ea statuta sunt, diligenter seruanda curem. Vobis interea, Matronæ, multum debere me confiteor, quæ relictis colu ac fusis, tam studiose ad Felis elegantissimi exequias conuenistis.

Dixi.

IN NOCTVAM,

Oratio Funebris.

Noctua prædam ferè semper alimento habet glirium & auicularum hostis, aquilino visu, oculis ardentibus, ideoque nocte clarius, quam die oculis vtens. Eius ex hac Oratione proprietates cognoscite.

QVisquamne inter vos tam crudelis erit, Auditores, vt mei misericordia non moueatur, quem noctuæ carissimæ obitus tam grauiter afflixit? Nullam equidem vnquam pulchriorem extitisse noctuam crediderim; quippe quam, quicunque conspexerunt, naturæ triumphum nuncuparent. Quocirca propere omnes, nisi quouis adamante duriores estis, mecum ærumnas & miserias meas deplorate. Equidem deinceps me lacrymis enecem oportet,

post-

postquam omnium sapientissimum & pulcherrimum animal miserrimo casu amisi. An vero vos noctuam nihil aliud quam garrire existimatis? vehementer sane erratis, id si creditis. Enimuero hæc auis Mineruæ sacra fertur: ideoque vrbs Athenarum, omnium & artium & exemplorum præstantium fons, tot huius generis aluit bestias, vt in prouerbium, qui noctuas Athenas portarent, venerint. Olim certe noctua cum victoriæ certissimum erat indicium, tum verissimæ signum monetæ; atque etiam, si Aristophani comico credimus, augurij non leuis nota. Pericles etenim, quod Plutarchus scribit, ad noctuæ volatum classis præfectos in suam perduxit sententiam. Atque vt minori vobis dolor meus admirationi esse possit, originem illustrissimam noctuæ meę breuiter exponam. Habuit olim AEthiopia re-

regem potentiſsimum Nyčteum, is filiam procreauit longe pulcherrimam, quę Nyčteis eſt nominata. quæ cum patrem haberet honeſta facie, ſuauibus moribus, & amabili aſpectu, per ſimplicitatem eum turpiter diligere cœpit. Hunc porro affectum cum ipſi patri nollet indicare; nutricem, quam habebat, fecit deſiderij ſui certiorem. Ea cū regi indicaſſet, nobiliſsimam quādam & pulcherrimam totius regionis virginem ipſius capi deſiderio, non difficulter effecit, vt rex eam, cuius neque nomen, neque faciem norat, amare vellet, inque complexum furtiuum clam recipere. Quo pacto quum ſatis longo tempore filia ſua, quam alienam credebat, potitus eſſet, poſtquam tandem crimen ſuum cognouit, incredibili dolore commotus, iraque percitus, ſtricto pugione mulierem è veſtigio perſequitur: ea dum inter fugiendum Mineruæ

implorat auxilium, repéte noctuæ formam adepta, furorem patris euadit, veruntamen qui remãsit pudor, etiamnum lucis illam commercijque omnis fugitantem reddit. Quod si vero paullisper nobis Democriti mistura frui liceret, cuius ille auxilio cunctarum voces auium sequebatur, multa nos audire præclara & ardua contingegeret. Noctuam tradit Plinius huic duntaxat auium generi inimicam esse, quod sanguine pascitur. Oua quoque noctuæ Philostratus ebrietatem impedire asserit. Neque minus mirum est, quod AElianus hoc de animali memorat. Hortorum quoque custodiæ Noctuam parieti affixam plurimum conferre Columella prodidit. Eadem præterea tum pluuiæ tum serenitatis futuræ non dubium præbet signum. Quos porro fert alios vsus hæc auis, infinitum foret recensere. Ceterùm ante tempus ali-
quod,

quod,cùm ſapientiæ huius nimalis periculum facere vellem, aſinumque Cipoli Monachi præceptis vtiliſsimis herum ſuum, Epiphaniæ peruigilijs, inſtruxiſſe ſcirem; noctuam ego meam pugno impoſitam ſimile popoſci officium. Illa verò mediam poſt noctẽ res memoria digniſsimas Attica lingua cœpit effari, cumque quibus Ariſtotelis præcepta collata ſordere poſsint. Oracula quidem, quantum repetere memoria licet, hæc fere fuerunt: Neminem à quoquam grauius, quam à ſeipſo, lędi; Iniuriam præſtare ferre, quam inferre; Mortales inimicitias, amicitias immortales eſſe debere; Rerum caducarũ quidem vſum, perpetuarum vero mancipium eſſe comparandũ; Nemini magis quicquam nocere, quam amorem ſui, Verè miſerum eſſe, qui ſuam ignorat miſeriam; Vt vitam breuem, ita vitæ gloriæ curſum eſſe perpetuum;

tuum; Virtutem solam ad beatè viuendum sufficere; Mortis contemptionem sępe immortalitatem efficere; Sapientem solùm dici posse liberum. Alia præterea permulta, quæ memoriæ nunc sunt elapsa tum audire memini; Nunquam etiam ad aucupium sum profectus, quin multa pręda domum onustus redirem. Itaque non iniuria te, carissima noctua, misere deploro; deque perpetuo somno suscitari frustra exopto. Ille certè & amoris omnis erat expers, qui te efflictim non amabat; & oculorum vsu carebat, qui non assidue contemplabatur: Tu & simplicitate columbas, & pulchritudine psittacos ac pauones, & animi magnitudine accipitres atq; aquilas, & vocis dulcedine luscinias atque cygnos vincebas. Tu me semper & hactenus hilarem reddidisti, & posthac tristem exhibebis. Atque ideo vos, clarissimę stellæ, precibus verissimis

mis obſecro, veſtro vt in cœlo locum non infimum noctuæ meæ cedere patiamini. Etenim ſi & ardentes caniculas, & cancros tardigrados, venenatoſqu e ſcorpiones in veſtrum recepiſtis olim commercium; cur nũc dulciſsimum & minime noxium animal auerſemini, non video. Si etiam vrſa, capra, leones, ac dracones à vobis feruntur; noctuam quoque meam, quæſo, ferte. Si denique arietes, tauri, capricorni locum non difficulter inter vos habent; quibus de cauſis eum puſillę noctuę denegabitis? Sed me tandem funebris orationis finem facere tempus eſt.

Dixi.

IN PICAM.

Oratio Funebris.

Neque frustra quicquam, & in vsum humanum omnia produxit natura. Itaque tametsi pica non tam est esui, quam perdix, nihilominus voluptatem homini magnam conciliat. Neque enim auis est hac, prater psittacum, vlla docilior, quaque ad nostrum sermonem accedat propius. Vnde per prouerbium nonnulli tanquam pica garrire dicuntur. Huius porrò animalis elegantias ex hac Oratione non sine voluptate percipite.

QVænam aut Stentoris vox, aut Q. Catuli facundia verbis vllis dolorem, quem picæ meæ mihi adfert interitus, vnquã possit exprimere? Equidẽ perpetuo lacrymaturus posthac videor

Audi-

Auditores, quanquam vestrum pauci fortasse misericordiam mihi tribuunt. Sed quis vnquam picam aut loquaciorem nostra, aut suauiorem vidit? Nihil enim non perdiscebat, tantumque fabulabatur, vt seruorum nequitias interdum proderet. quo factum est, vt eam illi tandem loquacitatis portesij fame necarint. Quod cum cõperissem, lingua quidẽ illos verberaui, sed brachijs, quoniam infirma sunt, parcere sum coactus. Ceterum quid ego non tum facere, tũ pati, hanc vt auem mihi compararem, sustinui? Certè non semel & Thulen & Phasin, sola eius fama percelebri commotus, lustraui. Quid, quòd vt à priore illam domino redimerem, tũ Apellis Venerem, tum Ialysum Protogenis, tum Cleopatræ vniones, tum alia illi pretiosissima dona obtuli? tandem quidem iam non sine maximo discrimine sum consecutus.

Atque ea cum nafceretur, nō pauca cęlitus extitere præfagia, quemadmodū ab ijs, qui tum interfuere cognoui. Nā & arcus triumphales, colofsi, Pyramides, trophæa, coronæq; multis tū aëris locis apparuerunt; & cometa fplendidiffimus Orientem verfus fuit confpicuus; & volucres omnes concentum edidere fuauifsimum. O beata, quæ picam protulifti meam, regio! maior fiquidem tibi de hoc animali gloriandi fuppetijt occafio, quam vel Smyrnæ de Homero, vel de Pindaro Thebis, vel Mātuæ de Virgilio, vel de Catullo Verona. Vnde porrò tantam poft hac delectationem capiam? Vnde tam lethalis vulneris remedium fumā? Nemo me pofthac hilarem, etiāfi vel cerui ætatem vel corui impleuero, confpiciet. Sed plura nunc hac de re verba non faciam, pofteaquam grauifsimus mihi dolor & ingenium perturbat, & memoriam

am corrumpit,& sermonis adimit vsum,neque me calamitates meas ex animi mei sententia verbis cō-plecti permittit.Dixi.

EPICEDIVM CERCOPITHECI DE-functi.

Auctore

Daniele Heinsio.

ILicet occidimus,nec erāt tua munera tanti,
Vt nullos posse Sirivueri ducere somnos,
Vt nox tarda mihi, nocte ipsa tardior iret
Importuna dies. tenebras damnamus inertes,
Et tenebræ fiunt inuisæ tempora lucis.
Sol quoque iam nobis pariter, suauißime,tecum
Occidit, & tecum fugerunt sidera noctem.
Tu domini festiua quies,tu sola voluptas.

Ignarus torpere diu, fessusque quietis,
Adfaciles iterum gaudebas vertere lusus:
AEdibus in medijs domino spectante lacunar
Scandere, vel tecto pariter vinclisque solutus,
Arboreos saltu solitus transmittere ramos.
Aut corpus tenui libratum fune per auras
Mittere: non aliter, quam cum molimine docto
Subtilis tremulā deduxit aranea telā.
Iam proprium decurrit opus, conspectaque longe
Decipit, & filo dubium est tollatur an Euro.
Aut cum iam Batauæ portum tetigere carinæ,
Neptuni de gēte aliquis pernicius aura
Fertur in antennas, rursusque relabitur ijsdem
Funibus, & vento citius consistit in imo.
Sæpius incertos edebas corpore motus,
Quales syluigenæ Nysæia numina Fauni,

Aut exultantes Satyri, cum corniger
Euan
Signa mouet, feruetque æris tinnitibus
æther,
Et Naxos saltata Deo cõponere gestus,
Et formare modos, agitataque flectere
membra
Gnarus, & ingratas saliendo auertere
curas.
Talibus illecebris si qua est aut gratia
doctis
Vatibus, & magnos Phœbeia munera
possunt
Exorare Deos, non tu, dulcißime rerum,
Tænaron, & mœsti spectabis limen
Auerni.
Nec te Cerberei metuentem incognita
quæque,
Terrebunt sonitus, ternaque in gutture
lingua.
Non patrem Pelopis, quanquam tibi
mensa placebat,
Aspicies epulas semper sperare paratas.
Non prolem Danai, tantum pietatis a-
mator,
Aspicies fundo peritura incumbere
lympha.

Non

Non Ixionos, imitari cætera doctus,
Spectator repetes, totiesque imitaberis
orbes:
Sed mites animas, deuotaque pectora
quondam
Artibus ingenuis, nostrisque ante omnia
Musis,
Inter odoratos nemorum gelidosque re-
cessus,
liquidos fonteis, æternaque munera
veris,
Et semper virides Musarum præmia
lauros,
Lusibus, & vario rerum oblectamine
falles.
Cedet Aretullæ volucris Stellæque co-
lumba,
Quæque senis Teij tenues mandata per
auras
Detulit, & blandos domini transuexit
amores,
Discedet toto festiuus gramine passer,
Cui quondam teneros morienti Cynthia
vultus,
Luctibus, & pulchros lachrymis corru-
pit ocellos.
Cedet & Eois Nasoni missus ab oris

Psittacus, humanas edoctus tollere voces.
Quanquam illi exequias volucrum longissimus ordo
Iuerit, & ruptis nudarint pectora pennis.
Et quem funesto vixisse Papinius ore,
Pro Meliore suo gemuit, lenisque Secundus
Inseruit nullo perituris tempore chartis
Cedet & ipse tuus, quanquam facundior illis
Tot lingua mentitur aues, tot murmura voce
Scriueri, mutare solet, quot maximus aer
Educat aut totis errant animalia terris.
Haud aliter, quondam sinuosi in gurgite ponti
Carpathius iuuenis, rerum cui nota potestas,
Et cæcas reserare Deum per carmina sortes,
Fit fera fit vo'u ris, variamque abiectus in aluum,
Sibilat, aut verso mugitus intonat ore;
Aut responsuras latratu percutit auras,
Vix quoque se, quamuis meliori sede recepta; Se ser-

Se ferret tibi Mara parem: quanquam aurea notis
Addita sideribus, priscum fateatur amorem.
Et quæ fallentem reditus agnouit Vlyssem.
Issaque discedet, victuris lusibus Issa
Vatis nota tui, quanquam omnibus Issa puellis
Blandior, & cunctis lasciuior vna columbis.
Et nunquam gutta positos decepit amictus
Stertentis domini, colloque incumbere iussa,
Persensit gemitus, & nota gaudia mentis.
Nec queror extinctum (quis enim crudelia Diuûm
Vertere iura potest, immotaque fata sororum?
Si nati morimur, si nec Sarpedona quondam
Iupiter eripuit, tenebrasque inflexit Auerni,
Totque Deum nati Phrygio cecidere sub hoste,)

Ereptum

Ereptum fortuna queror. Sol pronus in
vndas
Hesperias, toto gaudentẽ corpore vidit,
Intentumque epulis positis, epulisque
remotis,
Et vix subducta choreas deducere
mensa:
Idem mane nouo defunctum lumine
corpus
Vidit, & indigno lachrymas in funere
nostras.
Tum quoque cum Clotho vacuam
Lachesisque teneret
Iam fato cessante colum, sæuasque ne-
garet
Hac atque illa manus, media plus mor-
te natantes
Attollẽs oculos; dominũ suspexit amice
Tuque vale dixit, blandoque bis edidit
ore
Murmura, quæ surdas poterant infle-
ctere cautes,
Et lethi dominas, & fas inamabilis
orci.
Tu quoque (sic visum superis, rigido-
que superba
Stant

Stant adamante fores, nec votum ianitor vllum
Crudus & indomitus, Stygias transmittit ad vndas)
Extremum extremumque vale, tellusque iacenti
Sit lenis capiti, nec dura coerceat vmbram.
Quod superest, si non Pario tua marmore surgit,
Et domini sublimis humus testatur amorem;
In titulo viuet, chartaque extabit in illa,
Marmora quod vincat, nec te tua nesciet atas,
Nec te posteritas auo vixisse priorum.

LECTO-

LECTORI S.



NE sequentes pagellæ vacarent, hanc venerandæ antiquitatis gemmam, cuius etiam B. Hieronymus meminit, inserere visum est.

M. GRVNNII COROCOTTÆ PORCELLI TESTAMENTVM.

M. Grunnius Corocotta Porcellus testamentum feci: quod quoniam manu mea scribere non potui, scribendum dictaui. Mageirus coquus dixit: Veni huc euersor domus, soli versor, fugitiue Porcelle. ego hodie tibi vitam adimo. Corocotta Porcellus dixit: Si qua feci, si qua peccaui,

peccaui, si qua vascula pedibus meis confregi? Mageirus coquus dixit: Transi puer, affer mihi de culina cultrum, vt hunc Porcellum faciam cruentum. Porcellus comprehenditur à famulis, ductus sub die XVI. Calend. Lucernin. vbi abundant Cymæ, Clibanato & Piperato Coss. & vt vidit se moriturum esse, horæ spacium petijt, & coquum rogauit vt testamentū facere posset. Inclamauit ad se suos parentes, vt de cibarijs suis dimitteret eis, qui ait: Patri meo Verrino Lardino do lego dari glādis modios XXX. & matri meæ Veturinæ Scrofæ, do lego dari Laconicæ siliginis modios XL. & sorori meæ

Qui-

Quirinæ, in cuius votum interesse non potui, do lego dari hordei modios XXX. Et de visceribus meis dabo donabo Sutoribus setas, Rixatoribus capitinas, Surdis auriculas, Caussidicis & verbosis linguam, Bubularijs intestina, Esiciarijs femora, Mulieribus lumbulos, Pueris vesicam, Puellis caudam, Cynædis musculos, Cursoribus & Venatoribus talos, Latronibus vngulas; & nec nominando coquo do lego ac dimitto popam & pistillum quæ mecum detuleram à querceto vsque ad haram: liget sibi collum de reste. Volo mihi fieri Monumentum ex aureis litteris scriptum. M. GRVNNIVS

VS COROCOTTA PORCELLVS VIXIT ANNOS CCCC.XCIX. QVOD SI SEMIIS VIXISSET MILLE ANNOS IMPLESSET. Optimi amatores mei vel consimiles vitæ, rogo vos vt corpori meo benefaciatis bene condiatis, de bonis condimentis, nucleis piperis & mellis, vt nomen meum in sempiternum nominetur. Mei Domini vel consobrini mei, qui huic testamento interfuistis, iubete signari.

Lucanicus signauit. Lardio signauit.
Tergillus signauit. Offellius signauit.
Nuptialicus signauit. Cymatus signauit.
Celsonus signauit.

Habes

HAbes, Lector beneuole, primum Morosophiæ nostræ libellum: qui si exspectationi tuæ minùs respondeat, varijs casibus quibus intereà dũ nugas has (neq; enim alio titulo tibi vendo) meditor, distractus fui, multisq; interruptionibus imputabis: Alterum librum libenter addidissem; sed eædem curę adhuc me distinẽt. Quod si tamen Deus hyemem hanc tranquillè degere permiserit, dabo operam, vt proximis nundinis (modò vita suppetat) altera

altera pars in publicum quoque prodeat. Non eo inficias, argumentum hoc quùm doctius tùm iucundius à nobisipsis quoque potuisse tractari: sed obstiterunt aliæ curæ circa rem magis seriam. Et profecto is est rerum in charissima nostra Germania status, vt vel ipse Democritus risum omnem à se abdicare posit. O patria! quantis in periculis versaris! atque vtinam ab externis tantum hostibus, non etiam à dissidiis intestinis!! Sed nihil

Digitized by Google

profunt querelæ. Fiet quod Deus voluerit. Cui facile vel momento temporis triſtia in læta conuertere, ac diſsidentes vera ac Christiana pace colligare. Quod ſi aliter Deo viſum fuerit, ferendum eſt quidquid ille impoſuerit. Tu vale interim, Lector, & ignoſce.

FINIS.





